P. de Graeff

P. Gallandii literarum LATINARVM PROFES- ſoris Regij, contra nouam academiam Petri Rami oratio.

Ad illuſtriſſimum Cardinalem & Principem Carolum à Lotharingia.

LVTETIAE

Apud Vaſcoſanũ, uia Iacobæa ad inſigne Fontis.

M. D. LI.

CVM PRIVILEGIO.

ILLVSTRISSIMO CARDI-
nali & principi Carolo à Lotha-
ringia Petrus Gallandius
S. P. D.

QVanta uis ueritatis ſit in eximia & illuſtri natura,ad quam ratio & cõformatio doctrinæ acceſſit,quámq; facile in ea contra hominum ingenia, calliditatem & inſidias ſe defendat, Cardinalis illuſtriſſime, Pariſienſis ſchola in te non minore laude & gloria tua,quàm maximo ſuo & literarum bono nuper experta didicit. In ea enim cauſa quam aduerſus Petrum Ramum Ariſtotelem & philoſophiæ tradendæ rationem maiorũ legibus nobis traditam, & tam longo annorum decurſu ſine controuerſia probatam,cum hîc eſſes, defendebat: cum plurima ſibi aduerſa extra cauſam pro aduerſario facere iudicaret, & ideo præproperam iudicij feſtinationem ualde formidaret: ea tamen animi moderatione & æquitate arbiter primum honorarius,deinde inter iudices iuratos ea grauitate diſceptator ſediſti, ut omnes facile perſpicerét, ut lancem in libra ponderibus impoſitis,ſic animum tuum captioni & calumniæ clauſum,uni perſpicuæ ueritati cedere. Nam cum eſſent complures qui dum nimis ambitioſe ſuos liberos honoratos quàm ſapientes malunt,multum operæ laboríſque in Ariſto-

tele conſumendum non putarent, aut nouarum rerum ſtudio iudicij experte rerum fucum ueritati anteponerẽt: poetarum cũ philoſophis coniunctam explicationem à Petro Ramo introduci cæptam, & quam ille philoſophiæ eloquentiæque, id eſt loquacitatis & ſtultitiæ cõiunctionem adumbrat, tibi probare uellent: eiúſque aduerſus Ariſtotelem quem ignorarent calumnias tegere & diſſimulare contenderent: eam tu tamen pro ſchola & eius uetere diſciplina ſententiam dixiſti, ut ueritatem, ſanctitatem & fidem multò plus quàm gratiam aut alium quéuis humanum affectum apud te ualere plane omnes animaduerterẽt. Et certe res, à qua reipublicæ incolumitas ſalúſque pendet, eiuſmodi fuit, ut hãc rectam iudicandi rationem, aut etiam maiorem ſeueritatem flagitaret. Cum enim iuuenilis inſtitutio diſciplináque ſine aliqua reipub. mutatione & conuerſione mutari nõ poſſit: & hac de cauſa Plato, Ariſtoteles, Lycurgus, cæteríque egregij legumlatores eam imprimis ſanciendam, nec temere mutandam cenſuerint: præclare & grauiter omnino cum ſenatu cenſuiſti, ut Petrus Ramus, qui iam totos ſeptem annos quietum & cõpoſitum literarum ſtatum ſeditioſe in hac ſchola ſollicitat, de grauium uirorum ſentẽtia, qui quaterni de ſingulis ordinibus deligerentur, quod eſſet in more inſtitutíſque maiorum poſitum, deinceps ſequeretur. Nam cum ex nouæ academiæ

libidine

libidine iampridem omnibus aduerſetur,ueterũ ſcriptorum nemini,non Ariſtoteli, non Quintiliano,non Ciceroni parcat: Euclidi,Galeno,reliquíſque primæ notę fere omnibus auctoribus cõminetur: nihil eos omnes uidiſſe in artibus, omnia conturbaſſe & confudiſſe diobolaris magiſter uociferetur: profeſſionum uices utiliter & prudenter à maioribus diſcretas miſceat & confundat:ex poetis philoſophiam quàm ex philoſophis multo melius doceri contendat:in hac umbratili philoſophiæ & eloquentiæ coniunctione, non Ariſtotelem,non philoſophiam, ſed poetas fere tantum doceat: Ariſtotelem partim impietatis plenum,partim rerum captioſarum & inutilium,uel non attingendum,uel per compendia quædam & ſumma tantum capita legẽdum, uel etiam diſcipulis citra præceptoris operam committendum eſſe affirmet: euangelium cum philoſophia confundat, prodigioſiſque omnino opinionibus imperitos & incautos adoleſcentes imbuat: ad contemptionem deriſionémque claſſicorum auctorum dira obtrectatione impellat,& contra omnem rationem ueritatémque una impudentia armet:quiduis dicendi ſcribendíq; contra omnes cuiuis libertatem licentiámque largiatur:maiorum leges labefactet, & ad errorem ſuũ confirmãdum malitioſa interpretatione deprauet:hęc inquam tot támque grauia in perniciem bonarum artiũ cum temere nimis ſuſcipiat, ne-

mo non prudens exitum audaciæ tam effrenatæ pertimeſcet, & talem hominem omni ratione frenari comprimíque debere exiſtimabit. Cuius cauſa cum ita à mente & ratione uacua ſit, ut apud doctos, graues, prudētéſque nulla refutatione indigeat: quia tamen in ſpeciem probabilis adoleſcentes conſilij & iudicij inopes, alióſque ſemidoctos in eam qùam diximus capitalem fraudem impellit: ut habeant quo admoniti uel reſipiſcant, uel ſibi ab eius inſidiis caueant, néue ille ſi ſe à nemine ſcripto refelli uiderit, ſibi nimium placeat, pro uetere ſcholæ huius diſciplina & philoſophia peripatetica, illi, quantū tempus & ſpatium tulit, reſpondendū duximus. Id autē cuiuſquemodi eſt, illuſtriſſime Cardinalis, tibi dicandum, & in tuo nomine diuulgandum eſſe putauimus, cuius ut acre & perſpicax ingenium, iudicium prudens & graue, doctrinam multiplicem, doctorum hominum qui te comitantur ſermonibus & diſputationibus quotidie creſcentem cū multis admiramur, ita te ſyncere ut cæpiſti, & grauiter de hac litterarū cauſa iudicaturum eſſe confidimus. Et quāquam Petrum Ramum iampridem in tuam clientelam deditū à te diligi non ignoremus, quòd ita natura illuſtrium & excelſo loco natorum fert, ut ſuos clientes odiſſe non poſſint, quia tamen te hanc totā ſcholam non minore charitate proſequi, & ex duobus quos ames ex philoſophi ſententia eum à quo ueritas ſtabit, alteri

teri

teri antepoſiturum eſſe certo ſcimus, de proſpero optimæ cauſæ ſucceſſu apud te nullo modo dubitare poſſumus. Quòd ſi hunc noſtrum conatum publicæ utilitatis cauſa ſuſceptum tanto animi candore acceperis, quanta animi propenſione & religione tibi dicatum eſſe cupimus, erit quamobrem cum tota ſchola te in hoc tanto rerum diuinarum atque humanarum faſtigio locatum, tuáſque incomparabiles animi ingeniíque dotes magis ac magis ſuſpicere, admirari, colere, & uenerari debeamus.

Extraict des regiſtres de parlement.

APRES auoir ueu par la Court la requeſte à elle preſentée par Michel de Vaſcoſan imprimeur & libraire en l'Vniuerſité de Paris, auec lacte & certificatiõ du Doyen de la faculté de theologie, commis par la Court ou lieu de Recteur de ladicte Vniuerſité, & des deputez docteurs en theologie ſignez en ladicte requeſte, declarans auoir ueu le liure intitulé Petri Gallandij profeſſoris Regij pro ſchola Pariſienſi aduerſus nouã academiam Petri Rami oratio: lequel liure ilz auoyẽt trouué bon, catholicque, & cõtre les opiniõs dudict Ramus utile & cõmode pour l'inſtitution & diſcipline de ladicte Vniuerſité, A ladicte Court permis & permet audict de Vaſcoſan pouuoir iceluy liure imprimer & expoſer en uẽte, defendant à tous autres libraires & imprimeurs de ce reſſort l'impreſsion d'iceluy liure dedãs deux ans prochains, ſans ladueu & cõſentement dudict ſuppliãt, ſur peine de confiſcation deſdictz liures qui autrement ſeroyent imprimez, & d'amende arbitraire. Faict en Parlement le dernier iour d'Auril, l'an mil cinq cens cinquante ung.

Camus.

PETRI GALLANDII LATI-
narum literarum profeſſoris Regij,pro ſchola Pariſi enſi contra nouam academiam Petri Rami oratio.

QVOD uterq; Gracchus olim ciuéſque alij ſeditioſi facere ſolét,ut prę-ſentium rerum ſtatu conuulſo, nouum & ſuæ libidini aptū inducant, ſeque perturbatis rebus principes conſtituant: id Petrum Ramum rerum omnium incurabili faſtidio laborantem, ut philoſophiam in hac ſchola conſtitutam, eiúſque parentem Ariſtotelem euertat,ſuaque prodigioſa ſomnia inuehat,ſumma ope contendere animaduerto. Vt enim illi ſuis facinoribus ſemper reip. utilitatem,libertatemque prętexunt,claros,eximióſque uiros tum uiuos auctores ſocióſq; proferunt,tum ex omni antiquitate repetunt, quorum exempla auctoritatémque ſequi ſe profiteantur: ita Ramus cum peſtem atque exitium ueteri philoſophiæ eiúſq; parenti iampridem meditetur, inepto libello quem pro philoſophica Pariſienſis academiæ ratione inſcripſit,productis eius legumlatoribus, citatíſque eorumdem ſed detorte & deprauate legibus, & magnorum uirorum ementita auctoritate,quod deſtinauit, ſe perficere poſſe in ani-

mum induxit. Quod quo tectius occultiúſque conatur, ut tanquam uelo ſuæ cupiditati obtento, arce literarum capta, rurſus aliquando aperte bacchari hominibus per inſidias circunuentis queat: ita maiore cura, prouiſione, dilige̅tia, perniciosis eius conatibus priuſquam maiorem plagam accipiamus, occurrendu̅ eſſe iudico. Nam cum bellum nullu̅ magis formidandu̅ ſit, quàm quod occulte & ex inſidiis geritur: eo exitialius hoc malum cenſendum eſt, quòd nunc non ut olim aperte ſigno dato, ſed oblique, clam & quaſi actis cuniculis ſeſe inſinuat, ſerpit & irrepit in animos imperitæ, nec recte tantę rei pondus expendentis iuuentutis. Quæ enim ſimulatio, quis dolus malus, quæ fraus maior fingi excogitaríque poteſt, quàm qua hodie à Petro Ramo philoſophiæ à maioribus conſtitutę perturbatio, aut potius ſubuerſio tentatur? Qui cum annis ſuperioribus unum illum & germanum philoſophiæ parentem Ariſtotelem ſicarium, latronem, parricidam appellatu̅, omni contumeliæ genere uexatum, ſuorum popularium tanquam oſtraciſmo damnatum ſcholis eieciſſet: neque uim apertam ſuo malo admonitus proſpere ſuccedere intelligeret: exuto lupo, uulpem indutus, eodem nu̅c ſed mirifice circunſcripto, atque ad deriſionem, ſubgillationem & contemptum retento, adumbrata neſcio qua eloque̅tiæ & philoſophiæ ex ſuis ſuorúmque ſomniis conſarcinata co̅iunctione,

ctione, ſe ſcholæ Pariſienſis à maioribus conſtitutæ cauſam agere, ei contra docentiū in ea imperitiam & importunitatem patrocinari, maiorum inſtituta, leges, mores & diſciplinam ſequi profiteri audet. Atque ut minore hominum reprehenſione eum curſum quem opinionis errore ſibi finxit tenere, ad explendam hominum auiditatē noua quotannis obtrudere, & in quenuis procaciter debacchari poſſit, academicam (ſi diis placet) ſectam dubitationis & inconſtantiæ parentem, diſciplinarum omnium perturbatricem, philoſophantium omnium calculo iampridem exploſam, Chriſtianorum ſentētia damnatam, ſe cum ſuis ſtudioſe amplexari & reuocare in lucem gloriatur. In quo quantum à mente cōſilióque deductus ſit, etiam ex eo manifeſtū eſt, quod non iam ſimplicibus & inconſideratis adoleſcentibus, quos tragicis ſuis declamationibus facile infatuare potuit, ſed ſapientiſſimis, grauiſſimisq; in hoc Senatu terrarū orbis principe iudicibus ab omni leuitate, inconſtantia rerum nouandarum ſtudio, denique ſententiarum uelut tempeſtatū conuerſione abhorrentibus, ineptiſſimo libello uaniſſimoque fucum ſe facere poſſe arbitratur. Quid? an ignorabat ab iis rerum forenſium cura defatigatis, cum Lęlij Scipioníſque conchas & umbilicos ad Caietam & Lucrinum legētium exemplo nugari & laxare animos uellēt, ſuas illas præclaras animaduerſiones Ariſto-

telicas eſſe lectas? Neſciebat ſe ut ab eorum oculis tenebras Ariſtotelicas & caliginé diſcuteret, & incomparabilem illum diuinúmque de ferula Promethei ſumptum ignem induceret, ſedulo præclari muneris loco ijs omnibus eas ipſas animaduerſiones hoſtiatim diſtribuiſſe? Itáne ueluti lethæo poculo per ſomnũ hauſto oblitus erat, quibus honoris titulis Ariſtotelem inſigniuiſſet? quibus conuitiis, qua maledicentiæ rabie eum inceſſere auſus eſſet, ut quicquid de peſte, furiis, orco, centauris, caco, cyclopibus, chimæra, harpyis, gorgonibus, cacodæmonibus, de totis deniq; inferis, & naturæ uniuerſæ monſtris prodigiíſque poetæ uel finxerũt, uel prodiderunt, ea omnia in Ariſtotelem non aliter quàm Cerberus aconitum in orbem terrarum euomeret? Huc accedit ad ſingularem eius ſtultitiam, ne dicã an malitiam & audaciam, quod cum illuſtriſſimo eidemque intelligentiſsimo Cardinali Lotharingo Ariſtotelis philoſophiam, artiúmque tradendarum formam à maioribus nobis cõſtitutam valde probari ſciat, & quas hic quotannis priuato cõſilio nouas tragœdias excitat, improbari nõ ignoret: tamẽ ut uiri tãti fulgore hominibus aciem oculorum præſtringat, & dignitate auctoritatéque terreat, ſuæ impudentiæ auctorem eum & propugnatorem obſtinate mentiri audet. Quem enim latet uirum illum nõ magis generis nobilitate & animi magnitudine, quàm ingenij,

ingenij præſtantia, optimarumq; artium ſciētia ſummū, cum ſcholam quam nuper Remis inſtituit, præclaris inſtitutis legibúſq; adornare vellet, artium illic tradendarum formam & exemplar ab hoc gymnaſio Pariſienſi accerſiuiſſe? In quo ut eſſent quędam animaduerſione & emendatione digna, cuiuſmodi eſſe aliqua inficias ire nolo, ſiue quòd ſocordia à maioribus receſſimus, ſiue quòd illi alicubi fortaſſe claudicarunt, aut in perpetuum omnibus temporibus conuenientia perſpicere non potuerūt: quis tamē illum ea eſſe animi moderatione & ſapientia, & à doctis ſanctíſque præceptoribus hauſta doctrina neſcit, vt furioſis hominis priuati ſecum perpetuò pugnātis bacchationibus, potiuſquam grauium hominum prudentumque iudicio & conſenſu quicquam immutari, & in aliam formam conuerti velit? Ego uero etſi ſcio in hac celeberrima ſchola eſſe quamplurimos, qui mihi ingenio doctrináque & facūdia anteſtent, quia tamen & gymnaſij hodie inter cætera non poſtremi adminiſtratorem eſſe me, & regium profeſſorem memini, & de quo nunquam (ita me deus amet) cogitaui, actionis publicæ qua hodie reus agitur, uelut auctorē me omnibus probris oblique inceſſit, contra quàm ſtatueram tam improbe agenti reſpōdebo. In quo ſi linguæ procacitate & petulantia, à quo natura mea refugit, cum eo paria nō fecero, at bona cauſa adiuuāte, ut ſpero, quæ ad-

uerſus philoſophiam, bonas artes, & eorum parentes tela contorſit, non difficulter retundam: & quemadmodum ab inſidioſa eius fraude cauendum ſit,homines cõmonebo. Atque ut ne in immenſum excreſcat & ſua longitudine moleſta ſit noſtra oratio,eam in quatuor capita cõferemus. Primo quæ ſuperioribus annis ſcripſit & declamauit omnia, ab ignorantia, leuitate & calumnia profecta eſſe docebimus. Deinde quã ex eodem fonte, ſed tectius aliquando & uerſutius hoc libello philoſophiæ cum eloquentia, id eſt ſtultitiæ cum loquacitate coniunctioné adornauit,fallacẽ,captioſam,huius ſcholę legibus inſtitutiſq; repugnare,ad Ariſtotelis,philoſophięq; euerſioné ſpectare declarabimus. Poſthæc in Ariſtotelé quæ falſo calũniatus eſt, nec impia,nec uitæ humanæ non ualde fructuoſa eſſe, philoſophiamque in eius nomine in hac ſchola cõſecratam,retinendam,& ad uerbum ſtudioſe explicãdam eſſe probabimus. Poſtremo contra philoſophiam academicam inconſtantiæ, erroris & impietatis magiſtram,quam cum ſuæ ſeditionis flabellis amplexus eſt,& ſe in lucé reuocare gloriatur,diſputabimus. Ac primum non poſſum ſatis mirari qua fronte Rame,non damnato aut excuſato priore tuo de Ariſtotele, eius libris & tota philoſophia iudicio, te quicquam hoc uaniſſimo libello hominibus perſuadere poſſe putaueris,præſertim cum recẽti re adhuc in homi-

num animis præclaras illius tui iudicij ſentẽtias tenaciter hærere neſcire non poſſis. Difficilius enim ex hominum memoria diſcedere inepta & ridicula, quàm ſeria & grauia non ignoras. Ecquem tam imbecilla memoria eſſe putas, cui honorifica illa de Ariſtotele & eius libris elogia tua à te uelut claſſico decantata exciderint? Quæris cuiuſmodi ea ſint? Eorũ ſi noua libelli huius uenena memoriam tibi ademerunt, & ueluti claui clauum pepulerunt, ut recognoſcas efficiã, confuſionis chaos, Circææ ueneficia, pabulũ tribulorum, caſtra dementiæ, fatuitatis, erroris, deliramẽta ſenis inſani & ægroti, pontis aſinarij fabrica, præſtigiæ, prodigia, portẽta, empuſa, ſphinx, hydra, lerna, peſtis, & generis humani exitiũ. Vis è multis ad maiorem fidem locum unum è tuis ſcriptis proferam, ne quid me cõminiſci aut fingere ad te inuidiã grauãdum, calumniari, quod ſoles, poſſis? En recito. Sic enim (inquis) uerißime profiteri poſſum, ſi dæmonum omnium conuentum de extinguendo doctrinæ huius lumine princeps ipſe tenebrarum ageret, auditáque ſingulorũ ſententia ſtatueret, non pernitioſius, exitioſius, calamitoſius quicquam reperturum eſſe, quàm ab uno Ariſtotele repertum eſt.

» Dij talem terris auertite peſtem.

Quid ais Rame? Nunquid de meo affingo? Non bona fide, tuæ uecordiæ uerba recito. Quibus auditis, quis non ſtatim iudicauerit te nunc Ari-

riſtotele retento, contra animi ſentētiam loqui? cum tu nuper velut furiarum tædis ardentibus exagitatus, ea de eo & eius libris protuleris, quæ de uenefico, parricida & ſacrilego dici nemo ſanus lubens audire uelit. Aut tum igitur te falſa rerum ſpecie deceptum uehementer inſaniuiſſe, aut ſi tum recte ſenſiſſe te putas, nūc in maximo errore uerſari fatearis neceſſe eſt. Pugnant enim ex diametro te Ariſtotelis libros ex huius ſcholæ more tuis diſcipulis interpretari, & in iiſdem eorum ingenia, quod te factitare ais, diligenter exercere: & non modo non eos legere, ſed ne ſi facultas quidem ſine ullo labore eſſet, & otiū ſuppeteret, tantam inſaniam cognoſcere uelle. Ita enim te olim ſcripſiſſe, & tuis iudicibus te quod auctorem tibi nō intellectum criminareris, obiurgantibus reſpondiſſe, quæſo recordare. Vt enim nūc hominibus perſuaderes te Ariſtotelem ex animo amplecti, priorem illam tuam tam inconſiderate prolatam ſententiam damnare debuiſti, aut experiundi ingenij tui atque eloquentiæ, ut olim Fauorinus febrim quartanam laudādam, ſic te ſuſcepiſſe Ariſtotelem criminādum, & exilio multandum fateri. Quem auctorem extra communem ingeniorum aleam poſitum, ab omnibus mortalibus tanto tempore tam religioſe & ueluti pro numine cultum, cum amētiæ ignorantiæque traducere, totque criminum & flagitiorum veluti nymbo obruere potueris, quis

de

de hoc tanto tuæ orationis flumine dubitauerit, quin non modo febrim quartanã & Buſyridem, ſed & funeſtã humano generi peſtem, orcumq́; ipſum ſi uelis, laudibus ad cælũ extollere poſſis? Sed ad conſtantiæ famam quæ noua placita, eáque admirabilia ſpargenti imprimis quærenda fuit, ſi te in errore, immo ſcelere tam manifeſto palinodiam canere pudebat: at priuſquã prioribus tam contraria inuulgares, illa retractãdo extenuares, & aliquo diſſimulationis tuæ colore oblita utcũq; tegeres. In eo enim opere quod ad tantam bonorũ iuuenum (ut Quintiliani uerbis utar) utilitatem, immo uero ad philoſophiam totam & bonas artes, ut tu uis, uelut uindicta in libertatem aſſerendas componebas, eſſe tibi diſſimulanti conſcius in ulla parte iudicij tui non debebas. Nam ut eiuſdem uerba uſurpem, & Hippocrates clarus arte medicinæ honeſtiſſime feciſſe uidetur, qui quoſdam errores ſuos ne poſteri errarent, confeſſus eſt: & M. Tullius non dubitauit aliquos iam editos libros aliis poſtea ſcriptis ipſe damnare: ne diuum quidem Auguſtinum, (ut alios permultos ſcriptores ſacros omittam) exacta ætate retractationum libros edere puduit: ut famæ ſtudenti, boni nominis exiſtimationem aucupãti, & in hoc libro fidem inuenire uolenti, multo ſatius fuerit in ea Ariſtotelis obtrectatione & dãnatione errorem fateri tuum, aut in periclitandi ingenij exercitationem

academicámque conſuetudinem, ut è tanto naufragio ueluti tranſtro inſidens enatares, hoc tuũ tam temerarium facinus conferre. Quam enim auctoritatem te iampridem conſequi poſſe hac uaga & uolatica tua ratione arbitraris? quando nemini nec mortuo, nec uiuo parcens, omnium bene ſcripta dictáue petulantia pluſquam cynica, latratu morſuq́ue appetas? Qua in re ita exercitatum te oſtendis, ut quod de Mæuio helluone dicit Horatius, in te non inepte cõuenire uideatur, qui quemadmodum

» Scurra uagus nullum certũ præſepe tenebat,
» Impranſus nunquam ciuem dignouerat hoſte:
Sic tu gloriæ inexplebili ieiunio pręceps,
" Quælibet in quenuis opprobria fingere ſæuus
" Pernicies & tempeſtas barathrumq́ue uetuſtæ

diſciplinæ & philoſophiæ, alienæq́ue exiſtimationis, nullũ adhuc in ulla doctrina ſcriptorem attigiſti, quem non contactu immundo ut Harpyiæ Virgilianæ fœdaueris. Quo in genere ut maledicendi conſtantiam magis q̃ boni omnes optarent, retines, ita aliis in rebus ſic uarium & mutabilẽ te præſtas, nullis ut te nodis uertumnũ & Protea uultum mutantem tenere poſſimus. Nam quemadmodum Scythæ, & Nomades Afri pecorum pabula ſequentes, ut illa pecori durant, ita diu ſtatam ſedem agunt: ſic quandiu ad paſtum oſtentationis & gloriæ cupiditatis tuæ inuentum nouum facere uidetur, tandiu apud te

ualet

ualet & uiget:ubi nouitate exuta, qua ſola commendabatur, minus placere cæpit, incertam caſam aliò trãſfers, nouum excogitas:illúdq; ueluti Apollinis oraculo, muſarumque omnium ſententia probatũ, diis hominibúſq; inuitis inuſitata contentione obtrudis,

» Campeſtres ueluti Scytæ,
» Quorum plauſtra uagas rite trahunt domos,
» Viuunt & rigidi Getæ,
» Immetata quibus iugera liberas
» Fruges & cererem ferunt,
» Nec cultura placet longior annua.

Lubet enim te affari poëtarum uerſiculis, quibus ita delectaris, ut cum in his pleniora philoſophię omnia quàm in philoſophis ipſis comperias, meritò philoſophorũ loco eos philoſophię candidatis explicari imperes: quàm recte, poſtea viderimus. nunc ad tuam leuitatem reuertamur. Quæ prima tui tyrocinij in oppugnãdo Ariſtotele palma fuerit, ſi reminiſci nõ potes, dicam. Ariſtotelis quos in manibus habemus libros, primum Ariſtotelis eſſe negaſti, quòd flumen illud orationis aureum à Cicerone tot locis celebratũ, in his nõ deprehenderes: alterius cuiuſdam importuni & ſpinoſi ſophiſtæ libros eſſe affeueraſti: quod cũ tibi amici multis cõuitiis extorſiſſent, nõ Ariſtotelis libros, ſed ex iis ſitu & uetuſtate corruptis, atq; ab Apellicone primum, deinde & à Tyrãnione contaminatis, tabulas eſſe ab Andronico

concinnatas, quæ pro Ariſtotelicis operibus hodie circũferuntur, affirmare cæpiſti. Cúmq; Plutarchi & Strabonis auctoritatem à te ipſo adductã contra te facere ab iiſdem tuis amicis admonitus eſſes, doctúſq; duo genera Ariſtotelis operum fuiſſe, in quorum altero quod ἐξωτερικὸν diceretur, hæc orationis ubertas maior extitiſſet, omniúmque Ariſtotelis interpretum, Galeníq; Ciceronis, Plinij, frequenter Ariſtotelis paginas integras ad uerbum citantium teſtimonio conuincerere, & ueritate ipſa Ariſtotelis filũ cæteris inimitabile ubique ſibi ſimile prodente: ſubito uelificatione mutata, ut in tempeſtate nautę, aliò curſum conuertiſti. In ipſum Ariſtotelem, cuius libros non iam Ariſtotelis eſſe negares, quod te præterito alius Ariſtotelis profeſſor in noſtrum collegium cooptatus eſſet, impetum feciſti, & te illi hoſtem & Ariſtoteleis omnibus palam profeſſus, pręclaris illis animaduerſionibus eum oppugnaſti, & ad nomẽ Ariſtotelis extinguendum dialecticas inſtitutiones mirabili nõ artis ſolius, ſed naturæ & exercitationis fabrica conſtructas edidiſti: in quas cũ geminus ille tuus fraterculus commentarios ediderit, quibus te cum Ariſtotele comparatum, oletum uidelicet cum ſaccharo, in cælum extuliſſe, Ariſtotele ad terram depreſſo uideatur: mirum uideri poſſit quibus rationibus ad legendum & explicãdum diſcipulis Ariſtotelem tecum hodie adduci poſſit. In quibus

bus & hoc ad inſignem tuam leuitatem pertinet, quòd eas annis fere ſingulis, primis ita mutatis, ut proximæ conuerſa facie ab alio auctore prodiiſſe uideantur, toties imminutas, auctas, ex toto fere mutatas & interpolatas, nunc tuis diſcipulis, nunc academiæ Pariſienſi, poſtremo cardinali Lotharingo dedicatas, non ſatis (ut homines ſani iudicant) conſtanter emiſiſti. Quam enim artem truncam, mutilam, diſtortam, & tenebris pluſquã cimmerijs obſcuratam, Ariſtotelẽ ſcripſiſſe criminabare; eam tu ſpiritu ſancto tibi diuinam auram, ut uolebas, inſpirãte, extrema manu addita, ita perfectam primo emittere debebas, ut te iudicio adductum ad tuam edendam, non arrogantia, ignorantia, leuitate, & maledicendi rabie homines dicere cogerentur. Et tamen in his omnibus quæ nobis iam toties ueluti crambem recoctam moleſte apponis, ſi ineptias, calumnias, conuitiandíque libidinem tibi propriã excipiamus, quid per Deum immortalẽ reliqui fiet, quod tibi peculiariter uendices? Quid à te dictum ſcriptúmue, quod non antè à Laurentio Valla, Rodolpho Agricola, Viue, Melãchthone, Agrippa, uel traditum ſit, uel in diſquiſitionẽ reuocatũ? à quibus uno Agrippa excepto, quem tamen tu in hac maledicendi rabie tibi ad imitãdũ propoſuiſſe uideris, quod in Ariſtotele aliiſq; magni nominis auctoribus notatũ, animaduerſum, aut reprehenſum eſt, ea cum honoris pręfa-

tione & modeſtia factum eſt, ut nemo ueritatis amans illis ſuccenſere merito poſſe uideatur. At tu cum illorum inuẽta ex Ariſtotelis unius fontibus hauſta tuis neſcio quibus ſomniis fucata, nominibus eorum ſilentio præteritis, pro tuis in lucem emittis, & cum, quod pueri in faba, ea te reperiſſe tamẽ clamitas, ſine quibus reipub. cardines ruere neceſſe ſit, quem hominem hilariorem ſine profuſo riſu, ſeueriorem ſine maximo dolore hunc tuum montium partum legere poſſe exiſtimas? Melior pars eorũ qui haſce tuas nugas lectitant Rame (ne hinc tibi nimium placeas) non ad fructum aliquem ex iis capiendum, ſed ueluti vernaculos ridiculi Pãtagruelis libros ad luſum & animi oblectationẽ lectitant. Quod cum, quantum audio, non ignores, poſteritatis ſpe te cõſolaris, liuorem qui in uiuis paſcitur (ut ait ille) poſt fata quieturum ſperas, tuos labores vt Herculis, poſteritatis iudicia æquiora inuenturos quàm uiuorũ, qui inuidiæ ueneno ſuffuſi, verum à falſo internoſcere non poſſunt, exiſtimas. Quid audio Rame? tu ad poſteritatem tuos libros peruenturos ſperas? Vnguentarij te uiuo, ſalſamẽtarij & pharmacopolæ ad butyrum, ſcõbros, thus & piper inuoluendum iis abutentur. Tui libri mediuſfidius, ut canit Martialis,

» Nigram citò rapti in culinam,
» Cordillas madida tegent papyro:
» Vel thuris piperíſque erunt cucullus.

Tu mihi crede ut Priamus liberis omnibus, ſic tuis libris ſuperſtes, omnes cōpones ad deplorādam tuam orbitatem relictus. Inuidiam uerò ſi actionis publicæ qua hodie reus es, cauſam eſſe putas, falleris Rame. Non enim inuidia, ſed odiū publicum perquam iuſtum eſt, in animis hominum tuas bacchationes toto iam ſeptennio moleſte perpeſſorū ita inſitum, ut niſi te ad mentis ſanitatem aliquando cōuerteris, nullo tempore, nulla unquam ratione deſiturum ſit. Quis enim furori & amentiæ quæ te præcipitem agit, inuideat? Quid eſt enim aliud furere, quàm patriæ quæ te genuit, aluit, ſuis opibus locupletauit, ſuis inſignibus adornauit, uim adferre, eius inſtituta, leges, mores uiolare, à maioribus conſtitutam philoſophiam labefactare, & tradendarū artium ueterē in ea diſciplinā ſubuertere conari? Patriā uerò quam nobis aliā & naturæ & ciuitatis eſſe putas, q̄ hanc uirtutū omnium & diſciplinarū parentē, in qua animi noſtri ad omnē honeſtatē per literas non ſolum exculti, uerūetiā quodammodo nati ſunt, ubi nos quoque hiſce ueris animi bonis inſtructi, ſedem certam, fortunas, & aliquem dignitatis gradum obtinemus. Nihil ſubuertere, ſed emendare, & in meliorem formam omnia conuertere contendo, inquis: audio, ſed quis te nobis Charondam, Solonem, aut Lycurgum legibus corrigēdis & ferendis adhibuit? quis te hîc tribunum pleb. ædilem aut cenſorem creauit? quo

iure,quo more homo priuatus, nouus Arceſilas, ſententiam quotidie mutans,re cum mortali nemine communicata, ſine relatione,ſine promulgatione,iſtud auſus es? Populus Ro. cum prior reip. forma non amplius ferenda uideretur, poſt longas inter plebem patresque diſſentiones tandem decem legatos Athenas & in alias celebres Greciæ vrbes uno cõſenſu miſit,à quibus re cum Greciæ ſapientibus communicata,decem legum tabulas, quibus extinctis ſeditionibus diu poſtea uixit,lætus accepit. Ecquem unquã Ro. magiſtratum penes quem legum ferendarum aucto ritas eſſet,ad leges ferẽdas acceſſiſſe ſiue ſuaſione & diſſuaſione pro concione,ſiue promulgatione & ſolenni illo trinundino,quam rationem in noſtris comitiis retentã cernimus, legiſti aut audiſti? Lege Platonem, Ariſtotelemq́; ea de re,& Ciceronem,ex quibus q̃ alte in lege noua ferẽda & uetere abroganda omnia expendenda ſint, ſi remiſſis iſtis ſpiritibus qui te tranſuerſum agunt, tantæ rei cogitationem ſuſcipere uoles, qua es ingenij perſpicientia ſtatim intelliges. Locrenſes inſerto in collum laqueo ad leges ferẽdas acceſſiſſe grauiſſimi ſcriptores prodiderunt, vt ſi quod ferebant improbaretur, in ipſa promulgatione ſtrangularentur. Socrates paucis ante mortem diebus cum facile poſſet è cuſtodia educi,noluit,quòd patriæ leges,quibus parendum eſſe diceret, prohiberent. Plato tantum contendere

in

in rep. quantùm tuis ciuibus probare poſſis, iubet: uim neque parenti neque patriæ adferendā eſſe: & hanc (ut Ciceronis uerbis utar) cauſam ſibi fuiſſe ait non attingendæ reip. quòd cum offendiſſet populum Athenienſem ſenectute deſipientem, cum perſuaderi poſſe diffideret, cogi fas eſſe nō arbitraretur. Tu uero Rame cū, dijs hominibúſque inuitis & reclamantibus, uetuſto huius reip. ſtatu cōuulſo, repudiatis maiorum legibus, abrogata tam longi temporis tradendæ philoſophiæ, tractandarúmque artium cōſuetudine, grauiſſimis ordinibus contra te ſummi pontificis, regíſque per quos omnia nobis aut ſancita, aut rata habita ſunt, fidem implorantibus, ſurſum deorſum permiſcere omnia pro tua libidine auſus ſis, miraris tanto ſtudio homines pro uetere philoſophia & eius parente defendendo, ueluti pro focis & aris ad reprimendum furorem tuum cōcurrere? Cum te ita ad Arceſilæ tui imitationem comparaueris, ut quod de eo à magnis uiris ſcriptum eſt, non eſſe uiri ingenioſi putes in eadem ſentētia permanere, ſed quod modo dixeris, ſtatim confutare, omnia calumniari, &, quod de illo Euſebius ſcripſit, ſemper tanquam hydra tua capita amputare enſe tuo ſtatuas, tu hominum tua improbantium inuidiā, non tuam leuitatem & inconſtantiam accuſabis? Quòd ſi quantum in philoſophia & eloquentia ſupra omnem antiquitatem poſſes, oſtendere uolebas: commodius,

meo iudicio & multo prudentius feciſſes, ſi Ariſtotelis aut Cic. loco inferioris claſſis ſcriptorem aliũ in arenam primùm prouocaſſes, non à tanto dolio figulinę tuæ initia duxiſſes, & in ſympulo ut Gratidius ille fluctus priuſquã in mari Aegeo excitaſſes, qua dimicatione cum ut ille apud
" Virgilium, -amiſſis Troilus armis,
" Infœlix puer atque impar cõgreſſus Achilli
male multatus diſceſſeris, quid eſt cur aliũ quàm te et tua infortunia aliò quàm in temerarium auſum tuum conferre debeas? Itaque huius odij publici cognita cauſa, in te deſcende quæſo Rame, tandem aliquando ad te redi, Ariſtotelem magnóſque eiuſdem notæ ſcriptores non calumniari, ſed laudare atque admirari diſce: deſine probos uiros inſontes morbo iſtius tuæ procacitatis uexare, atq; ut tecum amicitiam colere poſſimus, æquabili cum cæteris iure uiuere conſueſce. Quòd ſi confundere omnia, perturbare & ſubuertere nouis rationibus, ut hoc ultimo libro tuo conari te uidemus, perrexeris: quem finem ſui defendendæ, ſuæque diſciplinæ totam hanc ſcholam facturam arbitraris? Sed inconſtantia, leuitate & malitia ſatis detecta, ad librum eius prȩclarum accedamus, & quænam ex huiuſmodi exordio pullo toga prætexta ſperanda ſit, cognoſcamus. Librum à mendacio, vt ea in re nũquam ſui diſſimilis eſſet, ordiri uoluit, à rectore alienæ libidinis miniſtro, & à malo quodam genio

nio impulſo, confictis criminibus ſe reum eſſe factũ aſſeuerauit. Quorſum id tandem? Nempe ut cum hominibus perſuaſiſſet huius ſcholæ cõtra ſe tumultum non publico conſenſu, ſed inimicorum ſuorum conſpiratione excitatum, facilius hominum ſimplicitati illuderet, & cauſam adulteratis hiſce commentis fucatã facilius probaret. Quem per genium malum intelligat, & ſi extremo libro interpretatione neſcio qua iudicij, ut opinor, metu tegere conatur, ſatis tamen omnes intelligunt. Nec ego quod mihi imputat, ob aliã cauſam quàm quod uerum nõ eſt, quódque ex eo ſuam cauſam firmare & ſtabilire contendit, moleſte fero. Quod niſi hoc eius mendacium eò ſpectaret, & me in huius gloriæ partem admitti rector cæterique doctiſſimi grauiſſimique uiri qui in eandem cauſam conſtanter incumbunt, paterẽtur, non ſolum me adiutorẽ, ſed etiam anteſignanum ad hunc furorem comprimendum fuiſſe profiterer. Cur enim ſi in pulcherrimo facto ullæ partes fuiſſent meæ negarem? & in tam glorioſam fortiũ uirorum philoſophorum, medicorum, theologorum, te tanto animorum ardore oppugnantium ſocietatem ueluti in equum troianum includi recuſarem? Sed cum certo cõſilio, quod ſtatim explicabo, religioſe ab hac contentione abſtinuerim, ut id à ſuperioribus ordinibus non ſemel mihi probri loco obiectum ſit, cum comitiis nunquam quæ

iam toties contra te Rame habita ſunt, interfue-
rim: nullum unquam hominem neque in hac
ſchola:neque in ipſa Curia hac de re appellaue-
rim:rectorem etiam contra q̃ debebã ter quater
rogauerim,cœpto ut deſiſteret, moleſtã actionẽ
alteri relinqueret, cur tu tam impudenter in me
huius actionis cauſam cõferre auſus es? Cur cum
uideas doctiſſimos grauiſſimóſque uiros theolo-
gos & medicos, quod inſtituis deteſtari, locis &
temporibus inuſitatis extra ordinem contra te
comitia habere, concionatóres ſacros in publi-
cis ad populum concionibus tuam temeritatem
execrari, rectorem à ſuperioribus facultatibus
ad te ſcholis publicis prohibendum incitatum
eſſe, cur (inquam) à me impulſum calumniatus
es? Vtinã uere de quo me accuſas prædicare poſ-
ſem, me certe haberes factum honeſtum ſine ulla
diſſimulatione cõfitentem. Quod quia gloria-
ri non poſſum, immo quod tantum malum hoc
tempore pene ſolus tacitum prætererierim, neque
bonis uiris ad illud comprimendum uelut ad cõ
mune incendium cõcurrentibus ſocium me ad-
iunxerim, eſt cur ab iis ut mihi ignoſcant, ma-
ximis precibus contendam. Quòd enim cum
eo homine qui maledicendo (quemadmodum
familiares eius prędicant) certare cum quouis, &
ueluti ſus lutulentus uolutari gaudet, contentio-
nem eſſe mihi nollem, me adhuc quieuiſſe con-
fiteor. Sciebam enim cum annis ſuperioribus in
omnibus

omnibus gymnaſijs ab omnibus odio publico, iniuria publica incenſis, pro perturbatore ueteris diſciplinæ traduceretur, ut ſe inuidia apud graues uiros ſubleuaret, in certos homines ſibi, ut aiebat, inimicos, odij publici cauſas conferre, & ab iis huius inuidiæ faces cæteris ſubminiſtrari dicere & ſcribere conſueuiſſe. Itaq; quod in hac linguæ procacitate plane tyro rudis cum Placideiano multarum palmarum gladiatore exercitatiſſimo, in hunc maledicentiæ campum deſcēdere nollem, arena me ceſſiſſe, & ſpectatorem potius quàm pugnatorem agere uoluiſſe, ingenue fateor. Sed quoniam ille tam petulanter & malitioſe meo nomine ad ſcholæ noſtræ ſubuerſionē abuti uoluit, detectis eius inſidiis, cauſam priuatam cōtemnamus, & reip. patrocinium, quod olim ſuſceperamus, intermiſſum nunc reſumamus. Quam eloquentiæ philoſophiæque id eſt ſtultitiæ & loquacitatis cōiunctionem adornet, primum conſideremus. Deinde quemadmodū Ariſtotelem, deū immortalem quem, quātumq; philoſophum, cōtra primum illud, de quo locuti ſumus, iudicium retineat, miretur, magnifaciat, extollat, in eo docendo legibus huius ſcholæ pareat, ei contra noſtram importunitatem patrocinetur, & uelut circeo quodā poculo immutatus, ex Ariſtotelomaſtige Alexāder quidam Aphrodiſienſis factus ſit, uideamus. Quod anno ſuperiore latum eſſe in hac ſchola inquit, ut continua

textus Ariſtotelici (ita enim loquitur) lectio fieret in ſuo gymnaſio, fieri ait, unam horam non interruptam, nec aliis rebus impeditam, ſed perpetuã in ea prælectione quotidie poni, & ad extremum continuari, reliquis ad laborem philoſophicũ ſuauiorem reddendũ, oratores, poetáſque admiſceri, & ita permixtos confuſóſque ueluti ſatyram lancem pueris proponi. quod quis neſcit ab inſtituto huius ſcholæ prorſus eſſe alienum, & ab utilitate diſcentium non minus diſiũctum? Qui enim intima philoſophiæ ab Ariſtotele ut maximo cum fructu, ita non nimis aperte & facile tradita una hora ſingulis diebus à pueris præſertim hiſtoricorũ poëtarumq; lectione aliò diſtractis perdiſci poſſe putauiſti? Qui enim tanti philoſophi libros, qui (ut ait Cicero) nõ modo à rhetoribus, ſed ne ab ipſis quidẽ philoſophis, præter paucos, intelligatur, tam exiguo temporis ſpatio à pueris non ſatis (ut ipſe Ariſtoteles ait) idoneis philoſophię auditoribus percipi poſſe arbitratus es? præſertim ſi ex eo quod inſtituis, omnes ſuas cogitationes in Ariſtotele non defigant, ſed poëtarum lectione, reliquorumque eiuſdem notæ ſcriptorum auocentur, & diſtrahantur? Vt enim qui duos lepores ſimul inſequũtur, utroque frequenter excidunt: ſic qui eodem tempore bene dicendi ſcientiam philoſophiámque ſibi parare conatur, neutram conſequitur. Qua in re quis prodigioſam inſtituẽdi formam,

& ei quæ ab Horatio deſcripta eſt, ſimillimam non irriſerit: in qua

» Humano capiti ceruicem pictor equinam
» Addidit, & uoluit uarias inducere plumas
» Vndique collatis membris, ut turpiter atrum
» Deſinat in piſcem mulier formoſa ſuperne.

Quis ſanus, inquam, eiuſmodi formã rebus inter ſe tam diſiunctis atq; etiam pugnantibus conſtitutam, & ut aliqua ratione cohærere poſſent, ſupra tamen teneros adoleſcentię captus poſitam non improbarit? Vtranq; quidem hac coniunctione tãquam à limine ſalutaſſe difficile non erit, perdidiciſſe uerò coniunctas quæ ſingulæ ad ſui cognitionem, & temporis plurimum, & ſingularem diligentiam, & incredibilem ingenij perſpicaciam animíque ardorem requirunt, ſupra uires humanas uidetur. Vt enim proci apud Homerum ſemel cùm ancillis permiſti & congreſſi, uenuſtate, gratia, elegãtia, formæ deniq; præſtantia Penelopes frui ipſaq; potiri non poſſunt: ſic nemo uere & perfecte philoſophari poteſt, niſi qui ad tempus aliarum rerum ſtudiis intermiſſis, in eam totus incumbit, & ueluti relictis ante fores comitibus magna religione adyta ſolus ingreditur. Qui ad dominam affectat uiam, ancillas ante ſalutet, concilięt, ſibi deuinciat, donec ad dominã aditus patefactus ſit, quo patefacto & uia ueluti per ancillas ſtrata, totus ad eam aſpiret, totum ſe ei dedat, ſi potiri cupit,

neceſſe eſt. nō patitur illa eodem tempore amatorem ancillis ſuis & ſibi inſeruiētem. Ita de philoſophia iudicandum: ancillas illa grāmaticem, rhetoricem, poeſim, hiſtoriam habet: eas ſuo amatori familiariter eſſe cognitas, priuſquam ad ſe ueniatur non indigne fert: ut autem quo tempore fruēda uere expetitur, pars amoris & ſtudij in ancillas transferatur, non ſuſtinet: ſuæ enim formæ, gratiæ, dignitatis, tantarumq; opum ſibi conſcia ſe dignam exiſtimat ad quam potiūdam amatores, poſthabitis omnibus, equis uelisq; cōtendant. Et quemadmodum ſua myſteria mandari monumentis literarum ab eo gaudet, qui ea diſponere, illuſtrare, & aliqua delectatione allicere lectorem poſſit: ita propter orationis lenocinium frigide & ſegniter tractari refugit. mauult etiam ſuam ſapientiam indiſertam, quàm ſolida rerum cognitione deſtitutā loquacitatem. A philoſopho, inquit Cicero, ſi adferat eloquētiam, nō aſperner: ſi non habeat, non admodum flagitem: & quemadmodum (quod alio loco ait) Græcorū nemini contigit, ut ex æquo philoſophiam eloquentiamque tractaret, immo qui non ſuo ſtudio delectatus alterum cōtemneret: ita fieri uix, immo ne uix quidem poſſe puto, ut nos quibus non ut Romanis olim & Gręcis hæ linguæ à nutricibus traditę tanto labore parantur, eodem tēpore recte poſſimus & uere philoſophādi, & bene dicendi doctrinam comparare. Huc, ſi diis pla

cet,

cet, quod omnibus notum eſt, neque nos repugnamus, è Cicerone eorum qui philoſophiã cum eloquentia coniunxerunt, ex omni antiquitate aceruum tranſcripſiſti, & furum more ſignis ablatis pro tuo uenditaſti, aliáq; inſuper è noſtræ religionis doctoribus exempla cumulaſti, quaſi eadem ſit Ciceronis cauſa quæ tua, aut in eo controuerſiæ noſtræ cardo uertatur. In quo mihi pilarios, uentilatores, cæteróſq; prꝺſtigiatores miraculis & ludibriis oculos præſtringentes imitari uiſus es. Quî enim ex eo quod fuiſſe homines ais philoſophiæ & eloquentię peritos effici poſſe arbitraris, quod ſumis, ut eodem tempore cum philoſophia cõfuſis profeſſionum uicibus poëtæ, hiſtorici, rhetores, & id authorum genus in ſcholis explicandi ſint? An aliter homines philoſophi & cæterarum artium periti eſſe non poſſunt, quàm ſi eodem tẽpore ab iiſdem præceptoribus omnes artes doceãtur? Quid in cęteris huius ſcholæ gymnaſiis, ubi eius inſtituto & legibus philoſophia traditur, oratores, poëtæ, hiſtorici, & reliqui humanitatis auctores nõ docentur? Tu qui tot annos in iis didiciſti, & priuſquam eò tua inſania progreſſa eſſet docuiſti, ignorare aut diſſimulare potuiſti noſtros diſcipulos, niſi decurſis uelut à carceribus ad metam grammaticorum, hiſtoricorum, poëtarum, oratorum ſtadiis ad philoſophiæ ſacra nõ admitti? Cicero enim, quod omnibus uſu uenit & prope conceſſum eſt, ut quaſi ſuã

ſponſam, artē qua florētiſſimus & celeberrimus euaſiſſet, ornaret & amplificaret, eam ad ſpeciem quandam abſolutiſſimam comprehenſam ſola mente reuocauit, & omnium artium ſcientia, quãtam in nullo mortalium uiderat, inſtructam eſſe uoluit: atque ut ex animis hominum falſam opinionem deleret, quam rabulæ indocti & loquaces rhetorculi ſola artis præcepta ad eloquētiam ſufficere affirmantes perſuaſerant, ex perſona Craſſi contra Antonium pro eloquentia academice diſputantis ad eloquentiam non philoſophiæ modo, ſed etiam reliquarum artium cognitionem neceſſariam eſſe uoluit. Atque ut ei uiro qui audientium animos inflammaret, & in quēcunque affectum uellet, flecteret, cuiq; reip. adminiſtrandæ gubernacula committeret, maiorem adderet auctoritatem, non ſolum his artibus uerísq; & ſolidis animi bonis, ſed & uoce, & uultu, actionéque decora, & cæteris quæ tum à corpore tum à fortuna proficiſcuntur, eum locupletauit. Cumque eſſent qui tot diſciplinas in diuerſum tendentes perdiſci poſſe negarent, & pugnare quodammodo inter ſe philoſophiam & eloquentiam errore pudendo putarent, hunc exemplorum aceruũ quibus plurimos & ſapientes & diſertos fuiſſe probaret, cumulauit. Quo autem ordine, quã ratione, quo modo aut docēdæ præceptoribus aut diſcipulis diſcendæ eſſent, nullum hoc loco uerbum fecit. Atque in tot hominum

minum illuſtrium exemplis à te ad confirmandum tuum errorem adductis, quos & diſertos & ſapientes fuiſſe concedimus, uix unum oſtẽderis qui ad hãc rationem, quam nouam introducere nimis temere auſus es, artes uel didicerit uel docuerit. Maior pars eorũ nunquam docuit: & qui horũ docuerunt, uni ſtudio addicti, alterum aut contempſerunt, aut ſuo cõtenti aliis ceſſerũt. Alij etiam in rep. uerſati, ſapientia delectati reip. adminiſtrandæ & ferendis legibus uacauerunt, cauſas uix unquam actitarunt, aut eloquentiæ munus ullum magnũ exercuerũt: alij uiciſſim priore parte uel ſpreta uel omiſſa, uni eloquentię dediti, cauſis agendis, conſiliis dandis, habendis que cõcionibus uitam omnem tranſmiſerunt. Quando enim Lycurgus, Solon, Pithacus docuerunt, aut in rep. conſtituenda & regenda occupati nõ magis ſapientiæ quàm eloquentiæ ſtudioſi uiſi ſunt? Quando in eodem ſapientiæ ſtudio ſed diſpari conſilio currentes Pythagoras, Democritus, Anaxagoras, rerump. adminiſtrationem refugiẽtes non magis philoſophiam quàm eloquentiam amplexati ſunt? Quis rurſus Themiſtoclem, Periclem, Theramenem, Demoſthenẽ in rep. uerſantes eloquẽtia magis quàm ſapientia floruiſſe, & in urbibus docentes, à rep. tamen abſtinentes, Gorgiam Thraſimachum, Protagoram, Iſocratem ſine philoſophia eloquentiam coluiſſe ignorat? Quid Socrates Platonis, Xenophon-

tis, Ciceroniſque teſtimonio non minus eloquẽtia quàm rerum cognitione ſummus, nónne ſapienter ſentiendi & benedicendi ſcientiam ſuis diſputationibus ſeparauit? Demoſthenes Platonis auditor cum eſſet, & audito Caliſtrato, ſtatim à Platone ad illum defeciſſet, an non ſatis eo tempore Athenis diſcretas fuiſſe profeſſiones arguit? An nõ Quintilianus diſcretas profeſſionum uices fuiſſe diſerte teſtatur? Quamobrem cum Ciceronem Quintilianúmque quos ad confirmandam ueſaniam tuam detorte & deprauate hoc loco citas, tuis in illos impudẽtibus animaduerſionibus grauiter accuſaris, eos artes omnes confudiſſe & conturbaſſe, quæ ſecretæ & ſeiunctæ eſſent, omniáque peruertiſſe criminatus ſis, nec minus ignominioſe & contumelioſe quàm Ariſtotelem ipſum tractaueris, cuiuis manifeſtum eſſe poteſt, te nihil iudicio, ſed animi quodã morbo omnibus contradicendi, & ex academiæ nouę libidine omnia refellendi pernicioſa hæc inuenta quotidie noua ſpargere. Tantóne lethargo laboras, ut ad ea in memoriam reuocanda quæ à te contra hunc locum in utrũque ſcripſeris, excitari non poſſis? Brutas tuas quæſtiones, & quas in Quintilianũ diſquiſitiones ſcripſiſti explica, & contra hanc coniunctionem, quam ipſis auctoribus hic probatã eſſe uis, tua in utrunque tonitrua & fulgura recognoſce. Quę cum magna calumnia longe alio tu quàm ad Ciceronis Quintilianíq;

tilianíq; propoſitum in ipſos uibraueris, & nunc tecum pugnans, & ab iis quæ tum ſcripſiſti diſsidens, eos uelut auctores falſæ tuæ opinionis cites, luce meridiana clarius eſt te his tam oblique & detorte productis, non aliter quàm lucis radiis ex pelui aut ſpeculo reiectis, hominũ oculos excæcare uoluiſſe. Ex tanto hominum numero, quem nihil ad rem protuliſti, neminem uides, qui ad hũc modum artes didicerit, aut docuerit, immo qui in uitę quod ſecutus eſſet inſtituto, hanc coniunctionẽ ex æquo ſeruauerit: qui quamuis genus utrunq; perdidiciſſet, uno delectatus, non alterum contempſerit. Ciceronem, Quintilianúmque ut ſuum oratorem ornarent, omnibúſq; laudibus ueluti deum quendã regendis ciuitatibus aptum cumularẽt, hanc cũm eloquẽtiã nõ philoſophiæ modo, ſed iuris etiã ciuilis hiſtoriarum, omniúmque rerum cõiunctionem expetiuiſſe. De ſcholarum in quibus pueri artes publice docerentur, inſtitutione, deque modo & ordine tradendarum in his diſciplinarum, hoc loco nihil ſuſpicatos eſſe, immo aliis locis longe aliter de his & ſenſiſſe, & eſſe locutos neq; ignorare, neque diſſimulare debebas: ut uehementer non mirari non poſſim, quî cum hac tam aperta inſcitia & calumnia eruditorum nõ modo aſpectum & ſermones de te, ſed etiam mentes cogitationesq; ferre omni pudore exuto poſſis. Quod ſi in tanta rerum apertarum ignoratione ore ni-

mis duro & ferreo nullo pudore commouere, quem tibi locum inter doctos relictum iri, quid te futurum ſperas? Immo quam non pœnam & ignominiam expectas? At Ariſtoteles, ais, utrūque factitauit, cùm florere Iſocratem diſcipulorū nobilitate uideret, eius emulatione citato, paululum immutato de Philocteta uerſiculo, rhetorū more docere cœpit. Hic enim turpe ſibi tacere ait, cum barbaros, ille autem cum Iſocratem pateretur dicere. Eum tu nodum uindice dignū eſſe ad quem diſſoluendum deo uelut ex machina opus eſſet, putauiſti. In quo ſi quæ cauſa Ariſtotelem ad id impulerit, & qua ratione id fecerit, potius cōſiderare, quàm ut uiperę omni cibo ſolent, ſic tu rebus omnibus ad cōficiendum uenenū abuti maluiſſes, mea refutatione nihil opus fuiſſet. Ariſtotelem non quòd aliter philoſophiã recte doceri poſſe non putauerit, aut quòd aliorū inſtituto qui uel tum docebãt, uel ante ipſum Athenis philoſophiam docuerant id fieri uel audierit uel uiderit: ſed emulatione Iſocratis, ſed inuidiæ gloriæque flãmula incitatum, hãc nouam uiam ingreſſum ipſe teſtificaris: Quam ad rem refutandam quid efficacius, quàm ea cauſa quæ ad id Ariſtotelē impulit, tibi opponi poteſt? Quãquam ſi tibi conſtare uelles, quod ab Ariſtotele factum eſſe ſcires, nunquam uel ſequi uel imitari deberes. Et tamen ne huic duro & difficili (ut putaſti) nodo perfringendo nimium mollis, adactus

ctus à me cuneus uideatur, omiſſa quæ Ariſtotelem incitauerit cauſa, cuiuſmodi fuerit noua hæc ipſius philoſophiæ docédę ratio, intueamur. Qui ante oratione breui, preſſa, acuta, limata, philoſophiam docuiſſet, ad quam quia orationis ubertas & ornatus deeſſet pauci aſpirarét, doctrinam ſuã eandem orationis opibus armare & illuſtrare inſtituit: cúmque orationis exercitatione coniunxit, locos inſignes de philoſophia & theſes horis pomeridianis declamauit, non omniũ generum poëtas, non hiſtoricos, non rhetorum præcepta minuta orationéſq; (quod tu uis) inculcauit: philoſophiam non modo conciſe, breuiter, ieiune philoſophorum more, ſed etiam ample, copioſe, ornate (ut diſerti ſolent) locis illuſtribus ad declamãdum ſelectis, horis pomeridianis docuit. Hic cupiam Rame, nõ ceruicem quam nimis elatam geſtas, ſed quod longe grauius eſt, diſtortam mẽtem erigeres. Ariſtoteles ut quamplurimos uia faciliore & ameniore orationis uelut aucupio ad philoſophiam inuitaret, ut ab Iſocrate, cuius gloriæ inuidebat, ad ſe eoſdem traduceret, theſes philoſophicas declamandas ſuſcepit, non tamen propterea priorem philoſophandi rationem dãnauit. Duo cõmentariorum genera ſcripſiſſe illum cum iam toties ad nauſeam uſque repetas, ad quorũ unum ἐξωτερικὸν quęuis ſine diſcrimine admitteret, ad intimæ uero ſecretioríſque philoſophiæ alterum ἀκροαματικὸν paucos aliis artibus

inſtructos conſtantéſque & ſuo iudicio probatos reciperet, quid ad præſens tuum inſtitutum Ariſtotelis factum tibi conferre poſſe arbitratus es? Hic dialecticæ tuæ naturalis ſinus fœcũdos explica, atq; ex eiuſdẽ artificio & exercitatione argumentationẽ uſitata tua ſubtilitate necte, & ex eo quod Ariſtoteles theſes philoſophicas horis pomeridianis Iſocratis emulatione copioſe & ornate declamauit, conſequi oſtẽdito non modo cum philoſophia poëtas cæteróſq; eius generis auctores eſſe miſcendos, uerumetiam melius è poëtis quàm ex Ariſtotele philoſophiam perdiſci poſſe. Non eoſdem utriuſque commentationis auditores fuiſſe uides, & ut iidem eſſent, quòd ad hũc modum fecit Ariſtoteles, non ex uulgaribus rhetoricarum pręceptionum officinis, aut poëtarum fabuloſis figmẽtis, ſed è philoſophiæ ſacrario depromptum uberius modo & copioſius tractauiſſe, retento quoque priore commentandi genere, animaduertis. Quorum generum utrum præſtiſterit, ex eo cuilibet euidẽs eſſe poteſt, quòd priora illa recte philoſophantiũ calculo probata permanſerunt, alia fere omnia interciderunt. Et tamen hoc Ariſtotelis factum, tantum abeſt ut improbem aut repudiandum cenſeam, ut omnibus philoſophiam docentibus ad imitationem propoſitum eſſe uehementer cupiam. Quem enim mortalem eſſe putas, qui in Ariſtotelis philoſophia tractanda theſes rerum illuſtrium ex philo-

ſophia

ſophia ſumptarum diſcipulos, præceptoréſq; declamare, & hoc modo rerum cognitionem cum orationis exercitatione coniungere moleſte laturus ſit? Ex uſu diſcipulorum præceptorúmque uel maxime eſſe iudico, ut philoſophiæ curriculum ingreſſi, ne quod accuſas, proprie, ornate, & apte loqui dediſcant, ad morem Ariſtotelicum de philoſophia declamando frequenter exerceãtur, & ad id ſæpenumero in meo gymnaſio philoſophiam docẽtes me cohortatum eſſe ſcio. Nec gymnaſiarchas qui philoſophiæ docẽdæ ineptos & indoctos pecuniæ parcentes præficiunt, excuſatos uolo: maximúmque uitium nec tolerãdum nec diſſimulandum iudico, ut qui nec ætate, nec doctrina, nec rerum uſu eloquentiáue præditus ſit, ad petendam hanc ab olympia philoſophica coronã admittatur. Huic morbo inueterato iãpridem medicinam quæro: cúmque ante annos ſeptem ſummo in magiſtratu rector ea de re ad omnes ordines retuliſſem, tréſque uiæ ſalutares quibus huic malo occurreretur ſeſe oſtendiſſent, una ut priſco more ad publicas ſcholas rediretur: altera ut quatuor gymnaſia ex his quæ hodie doctoribus & diſcentibus uacua beneficiariis quibuſdam lites ſectãtibus attributa ſunt, in quibus incluſi philoſophiæ candidati id unum agerent, deligerentur: tertia ut iam è medio ſublatis ſinuoſis captioſarum cõcluſionum uoluminibus, quibus olim annus primus impendebatur, in tanta

bonarum literarum luce, tanta optimorum librorum egregiorúmque ingeniorum copia, ad retinendos auditores, qui temporis longitudine deterriti, aliò auolarent, aliquid de triennio & ſemeſtri detraheretur, & breuiore tempore philoſophiæ curriculum includeretur: de trium ordinum conſenſu poſtrema hæc potiſsimum placuit. Nam & ad continẽdos in officio diſcipulos, qui, ſi ad publicas ſcholas redeatur, ſtatim ad omne libidinum genus ſeſe profligabunt, aptior, & ad plures ad philoſophiam alliciendos, quàm ſi quatuor tantũ gymnaſia philoſophiæ deſtinarentur, cũ minore rerũ commutatione, quæ in omni rep. ualde ſemper formidanda eſt, conuenientior iudicata eſt. Quæ lex de philoſophici temporis compẽdio trinundino ſolenni promulgata triũ ordinum ſummo conſenſu comprobata, cum ei theologi hanc ſolam ob rem aſſentiri non uiderentur, ꝙ nihil repẽte mutari placeret, neq; paucis ex Neoptolemi ſententia philoſophandũ, Petrus Caſtellanus Matiſconũ põtifex doctiſſimus & ſapientiſſimus iudicaret, à nobis, id indigne pleriſque omnibus ferẽtibus, lata non eſt. Quòd enim ordini theologorũ grauiſsimo non uim ad ferẽdam, ſed ut amplius deliberaret permittendũ eſſe putaremus, & Petri Caſtellani iudicium non aliter quàm Apollinis oraculum ſequẽdum duceremus, maiorem contentionem ut perferretur adhibere noluimus. In quo quid ſit cur nos accuſare,

ſare, & tuum factum cum hoc noſtro cõparare debeas Rame, non uideo. Quæ uia ad integritatem morum, gymnaſiorum diſciplinam, plures ad philoſophiam inuitandos, inq; ea conſtanter ad extremum retinendos, retenta priore forma, aptiſsima uiſa eſt, à nobis ſummũ magiſtratum gerentibus, flagitantibus prope omnibus, more maiorum exquiſita & tentata eſt: de qua ineunda cum philoſophis, medicis, & iuriſperitis auctoribus promulgata lex eſſet, quòd tamen theologi hanc ſolam ob cauſam quòd nimis repentina mutatio non placeret, diſſentirẽt, à nobis perlata non eſt. Quæro igitur quid ſit, quod præter magnam modeſtiã noſtram hac in re à te reprehendatur? Cur cum tua prodigioſa forma noſtra comparetur? Tu cum magiſtratum nullum geras, cum mortalium nemine tuum ſomnium cõmunices, ſine relatione, ſine promulgatione morem uetuſtiſſimum tot ſeculorum auctoritate, & maiorum noſtrorum legibus comprobatũ abrogare, & poëtas deliriorum & errorum magiſtros pro philoſophis legendos priuato conſilio proponere reclamantibus omnibus audeas, aliorum moderata facta improbabis, & te malum unum huius ſcholæ geniũ & euerſorem, bonum geniũ patronũque & defenſorem profitebere? & ad cõfirmandum errorem tuum ex omni antiquitate exempla ad id quod agis nihil pertinentia, immo tuum factum damnantia, magnorúmque uirorũ

illuſtria facta ad tuam libidinem detorta conuer tes? Solitudinis in gymnaſiis & paucitatis philoſophiæ ſtudioſorum quam à me ignoratã fuiſſe contumelioſe contendis Rame, ego me multo quàm te qui tam lynceus uideri uis, peſpicacius uidiſſe, & longe meliorem medicinam huic morbo quæſiuiſſe, æquo & prudenti iudici facile probabo. Quam enim extremo libro tuo inter cætera quibus laboramus ulcera, cauſam huiuſce rei enumeraſti, & nimis acerbe exagitaſti, chirothecarum, pileorumque largitiones, & pecuniolæ neſcio cuius exactionem quam pro mineruali ſigillario cerarióque præceptores & magiſtratus accipiũt, eam huius ſolitudinis ac paucitatis cauſam eſſe plane negabo. Argumento uel euidentiſſimo hoc unum tibi eſſe poterit, quòd pauperes propemodum ſoli qui ad theologiam aut medicinam, aut artes docendas ſe comparant, definitum curriculum explent, & ad extremum con ſtantes perdurãt: locupletum uero & honoratorum filij uix à limine ſalutata philoſophia ad ius utrunque & leges auolant. Qui cum temporis longitudine, quo curſus artium deſcriptus eſt, liberos ſuos tardius quàm uolunt ad honores & opes prouehi uidẽt, dum eos honoratiores quàm ſapientiores malunt, ad has artes illuſtres & quæſtuoſas ſtatim transferunt. Hos ut in philoſophia, hac tãquam illecebra retineremus, & pauperes unius anni ſumptu adẽpto ſubleuatos, præceptoréſq;

ceptoréſque ipſos temporis breuitate & auditorum frequentia ad totam philoſophiam alacrius perſequendam accenderemus, magnū auxilium minima cum rerum mutatione, detracta de curriculo temporis aliqua portione, cenſebamus cōſtitutum. Cum enim bonis auctoribus in primis claſſibus docte explicatis, magnum ad philoſophiam gradum factum eſſe conſtaret, & ex his ad intimam Ariſtotelis philoſophiam in annum ſequentem accurate & ſtudioſe cognoſcendam adoleſcentes egregie eſſe comparatos, quis præter te quod inſtituebamus nō tuę prodigioſæ cōfuſioni anteponeret? Quam ratiomē cum omnes ordines uehemēter expeterent, quòd tamē theologi & ſi re ipſa non improbarent, nihil repente immutandum cenſerent, modeſtia à qua tu multum abes Rame, & eius ordinis reuerentia motus, omiſi, atque in aliud tempus, dum illi rem totam diligentius ſecum reputaſſent, differendam exiſtimaui. Tu uero Rame, uexata hoſtilem in modum ſententia noſtra, diſſentiendi dūtaxat à nobis ſtudio, dum, quod in nobis accuſaſti, crumenæ auaritiæq́; tuæ conſulis, philoſophiam extra gymnaſia ad ſcholas publicas relegas: & uiolatis ſcholæ legibus, omnibus ordinibus inuitis, eam philoſophiæ eloquentiæque coniunctionem introducis, quæ nihil aliud quàm ſtultitiam & loquacitatem allatura ſit. Cur cum plus eſſe temporis in philoſophiæ curriculo fa-

teare, quàm ad legendos omnes libros definitos neceſſe ſit: non partem de eo detrahi mauis, quæ humanitatis auctoribus ſeorſim legendis attribuatur, quàm tempore integro reteto, cum philoſophis omnium artium ſcriptores confundi? Singulari quodam rerum alienarum faſtidio & contemptu, tuique nimio amore laboras Rame, quo tua reperta quantunuis inſulſa magnifacis, aliena quanuis optima & cum aperta ratione cõiuncta repudias. Quòd ſi quod nunc tibi placet tum eſſet à nobis conſtitutũ, tu profecto qui inſanabili omnibus contradicendi morbo laboras, tanta contentione ſubuertendũ clamaſſes, quãta iam conſtituendum eſſe pertinaciter contendis: immo ſi iam omniũ ſentẽtia tibi quod uis cõceſſum eſſet, qua damnandi aliena grauidarum mulierum malacia laboras, non dubito quin ſtatim aſpernarere, & repudiares. Itaq; tuas ſolennes illas obteſtationes, quibus iam ſæpe à deo optimo maximo contẽdis, ut reip. ſtatũ ad tuam libidinẽ immutet, iam toties irritas, nemo qui naſum habet legere poteſt, quin illi ſubito ſummo cũ riſu in mentem illorum ſatyrici carminum ueniat,

» Si quis deus, en ego, dicat,
» Iam faciam quod uultis: eris tu qui modo miles,
» Mercator: tu conſultus modo, ruſticus: hinc uos,
» Vos hinc mutatis diſcedite partibus. eia
» Quid ſtatis? nolunt. atqui licet eſſe beatis.
» Quid cauſæ eſt, merito quin illis Iuppiter ambas

" Iratus buccas inflet? neque ſe fore poſthac
" Tam facilem dicat uotis ut præbeat aurem?

Verum ut ad hanc tuam præclaram coniunctionem reuertamur, qua cum philoſophia ſimul poetas miſcendos, immo pueris philoſophantibus pro ipſis philoſophis proponẽdos eſſe contendis, quid te hîc, obſecro, iuuerit, quòd Hieronymus, Chryſoſtomus, Baſilius, Nazanzenus, Lactantius, Arnobius, Ambroſius, Auguſtinus, ſapientes & diſerti fuerint? An non illi poëtas ita religionis ſtudio ſunt exoſi, ut uel ſolis manibus attrectare ſummum nefas eſſe ducerent? De modo, ratione & ordine tradendarum artium, & qua ratione homines eloquẽtiam philoſophiámq; optime conſequantur, non quot & qui olim diſerti ſapientéſque fuerint, diſputamus: noſtros diſcipulos eloquentes & ſapientes, quantum fieri poteſt, efficere ſtudemus: neque hanc coniunctionem repudiamus, ſed eam contingere melius diſcretis profeſſionibus, ordine & ſucceſſione tradendis artibus, ut maiorum leges, tot annorum longa conſuetudo & ratio fert, non confuſis cum philoſophia prauarum opinionum leuitatíſque magiſtris poëtis, temporibúſque & cauſis potius q̃ ueritati ſeruientibus oratoribus aſſeueramus. Nam ut quædã ex philoſophia deſumpta in oratoribus poëtíſque deprehendãtur, quoties tamen illi, dum auditorum affectibus inſeruiunt, dum clienti cuius patrocinium ſuſce-

perunt, ſtudent, dum locis, temporibus, cauſis ſeſe accommodant, à philoſophia & ueritate deflectunt? Hi uero quum præclaram aliquam ſententiam, quam ut qui totum dié iaculantur, aliquãdo collimant, ſic ad ſe ex interuallo forte reuerſi emittũt: quot tamẽ rebus futilibus inanibúſq; rependũt? An philoſophis comites adiũgentur? an pueris in philoſophico ſtadio currẽtibus philoſophorũ loco proponentur? Sit in utroq; horum faceta, uenuſta, ornata oratio: ſint argumenta, ſint ratiocinationes, eáq; omnia dum explicãtur, ſuo tẽpore pueris ueluti intẽto digito indicẽtur, quis enim uetat? immo non ſummopere probet? an tamen idcirco philoſophis ſapiẽtiæ, ueritatis grauitatíſque magiſtris æquabuntur? cumq; his miſcebuntur, immo etiam anteponentur? An in eo tibi, qui academiæ tuæ nouæ inuſitata licentia omnem auctoritatem repudias, Horatium miranda ueri ſuperlatione Homerum laudantem adducenti ſubſcribemus? non potius Platonis grauiſſimi philoſophi, cui tu merito Rame (quod admiratione dignum eſt) multum tribuis, de poëtis iudicium ſequemur? Quantum iis deferat in libris de rep. qui tam addictus Platoni ſis, certè ignorare non debebas. Eos tanquam bonorum morum corruptores, leuitatis errorúmque magiſtros, cum mores optimos, optimum reip. ſtatum exquireret, è ſua republica exigit, nullum eis locum inter ſuos ciues relinquit. Quid de illis a-

» pud Cicerónem Torquatus loquitur? An tẽpus, » (ille inquit) in poëtis euoluendis, in quibus nulla » ſolida utilitas, omníſque puerilis eſt delectatio, » cõſumeret? & alio loco: Molliunt, inquit, animos » noſtros, neruos omnes uirtutis elidunt. & alibi: » O præclaram emendatricem uitæ poëticam, quę » amorem flagitij & leuitatis auctorem in conſilio » deorũ collocãdũ putet! Tu qui ex libidine huius nouæ academiæ tuæ omnẽ auctoritatẽ repudias, Horatiũ poëtam incõſtantẽ, ac, ut de ſe loquitur,

» Nullius addictum iurare in uerba magiſtri,

potius quàm uirum ſapientiſſimum philoſophorum principem Platonem ſequi maluiſti? Cur illius ſententiæ cõmeminiſti, hanc eiuſdem ſcriptoris non es recordatus?

» Rem tibi Socraticæ poterunt oſtendere chartæ,

præſertim cum illic liberam epiſtolam ſcriberet, hîc ſeria præcepta traderet? Idcircóne quod quædam ſententiæ graues, & à philoſophis petitæ, & argumenta ratiocinationéſq; in poëtis inueniãtur, melius ex his, quàm ex philoſophis diſci philoſophiam contendes, & naturę exercitationíſq; præter artem nugamento tuam uaniſſimam captionẽ tuebere? Quis enim ſine principiis & rerum cauſis, ſine præceptis, ſine inſtrumento toto philoſophiæ & ſupellectile eam uia certa & ratione doceri diſcíue poſſe unquã cogitauit? Quæ in poëtis oratoribúſque argumenta, niſi externa artis expertia & uериſimilia inueniuntur? Vbi a-

pud hos quæ ex certis perceptis, euidentibus & neceſſario concludentibus argumentis conſtat demonſtratio, cernetur? Quæ nam eſt quam ex poëtis nobis tam odioſe toties inculcas, ex natura & exercitatione, dialectica? Quis unquam aliam dialecticã quàm quæ arte cõtinetur, tradidit? Cũ ea diligens diſſerendi ratio ſit, quis unquam niſi ex arte & eius præceptis diligenter diſſeruit? Quis exercitatione niſi adhibita arte, id perfecit? Scio quid poſt Platonem & Ciceronem Quintilianus (unde & ſi diſſimulas, hoc tuum inuentum eſt) de facultate dicendi loquatur, eius originem eſſe à natura, ab arte & exercitatione perfectionem & ſummam. Idem cum de medicina reliquíſque artibus dici poſſit, quis tamen tam ſtultus unquam inuentus eſt, qui medicinam, iuriſprudentiam, reliquáſq; artes triplices, natura, artificio & exercitatione fecerit? Quanuis natura ab arte & exercitatione perficiatur, à natura artis & exercitationis initium ducatur: cum tamen de artibus diſputatio inſtituitur, quis eas præceptis & certis ueluti regulis non includit & definit? Quis unquam philoſophiã naturalem, quis moralem, quis medicinam, rhetoricam, grammaticam, aliò quàm ad artem retulit? Quis unquam grãmaticum, oratorem, dialecticum, niſi qui ex arte loqueretur, oraret, diſputaret, appellauit? Cur in definitione dialecticę à prudentibus hæc uox, diligens, additur? Qui enim ex ſola natura

tura

tura(cuius lumen in nobis obſcurũ, niſi arte excolatur,uix eniteſcit) aut exercitatione artis experte diſputat,quàm ſæpe fallatur & in errorem præceps agatur, tu,tu, inquã Rame,tortuoſis iſtis & fatuis argumentis documento eſſe potuiſti. Tantũ enim in iis uecordiæ atque amentiæ animaduerto, ut huic ineptiſſimæ tuæ diuiſioni aliquid tribuere cogar. Sultitia enim naturali incredibili te prędirũ eſſe arguunt,quã iam arte & exercitatione ita prouexiſti & corroboraſti, ut ad eam perſanandam totæ anticyræ uix ſatis futuræ uideãtur. Atq; cum tu dialecticis tuis inſtitutionibus omniũ aliorũ inuenta obſcurare uelles,cur quæ uulgaria ſunt, & omnium artium communia, atque à tam multis ante te decãtata peculiariter dialecticæ attribueris,eaq; tanquã palmaria quędam palam collocaueris,& trophęa ſtatueris, ſatis mirari nõ poſſum.Quæ enim tã uulgaris res eſt in qua non naturã,artẽ & exercitationẽ exquirere poſſimus?Quis ſutor,calceolarius,ſartor,zonarius,quod agit,dictitare non poſſit natura,arte & exercitatione conſtare?Cur non eodem modo omnibus artibus iſta attribui queãt? Cur iuriſprudẽtię iuriſperiti,medicinę medici,ſi ut tu inepti-re uelint,nõ eandem diuiſionem ſuis artibus accõmodẽt?Cur igitur tu eam tanquam propriã & peculiarem dialecticæ tribuiſti? Quanquam ut hunc ſcrupulum qui te torquet tibi adimamus, hęc tria nõ artibus ipſis,ſed facultatibus tribuẽda

eſſe proprie uidentur. Ita dicẽdi ars præceptis uia & ratione diſpoſitis conſtabit: facultas dicendi extra hæc naturã & exercitationem deſiderabit. Sic facultatem dicendi Quintilianus diuiſit, ut in ea de arte, artifice, & opere dicẽdum exiſtimaret: artem uero præceptis & diſciplina includi, & ſine opere in quo perfecto natura & exercitatio inſint, conſpici: artificem autem id eſt oratorem, ut cũ gloria & laude ſuo munere fungatur, multis aliis quæ duodecimo libro tradit, præditũ eſſe oportere iudicaret. Hæc omnes prudentes ſemper diſtincta eſſe uoluerunt. Itaque grauiter Cic. quãuis ingeniis magnis præditi quidã aliquid ſine ratione conſequantur, arte tamen multo certiorem eſſe ducem quàm naturã pronuntiauit. Aliud eſt enim, ut idem inquit, poëtarum more uerba fundere, aliud ea quæ dicas ratione & arte diſtinguere. Quod autem de poëtis, oratoribúſq; tibi liberum eſſe uis, ut ex his philoſophiam tuos doceas, quis de iure ciuili, medicina, theologiaq; dicere non magis ſibi licere arbitretur? Totum ius ciuile quanuis hominum placitis cõſtitutum ſit, ab iis tamen hominibus profectum eſſe conſtat, qui ſapientiæ numeros omnes calluerũt, qui ex philoſophię penetralibus leges hominibus tulerunt, qui à diuina ſapientia tãquam à capite & fonte (ut poſt Platonem Cicero de Legibus ait) iura quibus reſp. regeretur, accerſiuerunt. Medicinæ, quæ tota philoſophia cõſtat, immo ipſa pene

ne philoſophia eſt,ſi philoſophiam adimas, quid ei præter extimam cutem & emortua quędam & inania lineaméta reliqueris? Theologia uero philoſophiæ totius pars omnium præſtantiſſima, quàm late ſeſe per uniuerſum philoſophiæ corpus extendit, quàm late peruagatur? Quis eo quod tu tibi indulges, iure, ſi ex alio auctorum genere philoſophiam quàm à philoſophis petédam putet, non potius ab aliquo ex hiſce tribus quàm à poëtis & oratoribus ducat? Cur porro quemadmodum ex Virgilio & aliis poetis tuos diſcipulos philoſophiam doces, non ex iiſdem ut ſoli pro omnium rerum doctoribus ſint, aliarum quoque artium peritos efficias? Medicinam cur poſthac à Galeno, Hippocrate, Aëtio & Aegineta tanto labore petámus? Ecce tibi Ramus Hyppias omniſcius paucis diebus explicat Virgilium medicorum principem, qui panacea & dictamo lethalia uulnera & morbos incurabiles ſanat. ita enim medicinam facit Maro.

„ Pæonium in morem ſenior ſuccinctus amictu,
„ Multa manu medica, Phœbiq; potentibus herbis
„ Ne quicquã trepidat, ne quicquã ſpicula dextra
„ Sollicitat, prenſatq; tenaci forcipe ferrum.
„ Dictamum genitrix Cretæa carpit ab Ida,
„ Puberibus caulem foliis & flore comantem
„ Purpureo, non illa feris incognita capris
„ Gramina, cum tergo uolucres hæſere ſagittæ.
„ Hoc Venus obſcuro faciem circundata nimbo

» Detulit: hoc fuſum labris ſplendentibus amnem
» Inficit, occulte medicans, ſpargítque ſalubris
» Ambroſiæ ſuccos, & odoriferam panacæam
» Fouit ea uulnus lympha longæuus Iapix
» Ignorans: ſubitóque omnis de corpore fugit
» Quippe dolor: omnis ſtetit imo uulnere ſanguis:
» Iámque ſecuta manum nullo cogente ſagitta
» Excidit: atque nouæ rediere in priſtina uires.

Hunc duntaxat locum ſuis diſcipulis proponat & explicet Ramus, breui præſtantes medicos, id eſt Theſſalos ardeliones effecerit. Vt autem iuris periti euadant, quid opus tot annos in Inſtitutionibus imperatoriis & Pandectarũ latifundiis cõſumere? En tibi Ramus paucis carminibus Virgilianis te iuriſconſultiſſimum reddiderit,

» Cnoſius hęc Radamãthus habet duriſſima regna,
» Caſtigátque, audítque dolos, ſubigítque fateri,
» Quæ quis apud ſuperos furto lætatus inani
» Diſtulit in ſeram commiſſa piacula mortem.
» Hic quibus inuiſi fratres, dum uita manebat,
» Pulſatúsue parens & fraus innexa clienti:
» Aut qui diuitiis ſoli incubuere repertis,
» Quiq; ob adulterium cæſi, quiq; arma ſecuti
» Impia, nec ueriti dominorum fallere dextras,
» Vendidit hic auro patriã, dominumq; potentem
» Impoſuit: fixit leges precio, atque refixit.
» Saxum ingens uoluunt alij, radiiſque rotarum
» Diſtricti pendent. ſedet, æternúmque ſedebit
» Infelix Theſeus, Phlegiáſque miſerrimus omnes

Ad-

» Admonet,& magna teſtatur uoce per umbras:
» Diſcite iuſtitiam moniti, & non temnere diuos.

Ecce quàm paucis carminibus quot diſcretæ ſcelerum formæ, quàm uaria ſupplicia his congrue irrogata, quàm ſcite boni iudicis officiũ ſub perſona Radamanthi expreſſum. Quid igitur Digeſtorum libris quinquaginta opus eſt? Quid Codicis duodecim, Inſtitutionum quatuor, tótque Nouellis conſtitutionibus, ut uernaculas leges omittã? En tibi Calliclẽ è Platonis Gorgia, qui paucis uerſibus Virgilianis æqui iniqui, pœnæ præmij, iudiciarij officij ſciẽtiſſimos præſtiterit. Quid? Ex quibuſnã potius pontificũ cõmentariis & aruſpicũ ritualibus libris ſcientiã ſacrificandi, expiandi, mõſtra procurandi, uerba ad ſacra pertinentia uſurpandi, quàm ex Virgilio hauſeris?

» -Huc(inquit)dona ſacerdos
» Contulit, & cæſarum ouium ſub nocte ſilenti
» Pellibus incubuit ſtratis, ſomnóſque petiuit:
» Centum lanigeras mactabat rite bidentes:
» Atque harum effultus tergo ſtratíſque iacebat
» Velleribus, ſubita ex alto uox reddita luco eſt.
» & - Pecudúmque recluſis
» Pectoribus inhians, ſpirantia conſulit exta.
» Tu genitor cape ſacra manu, patrióſque penates.
» Me bello ex tanto digreſſum, & cæde recenti
» Attrectare nefas, donec me flumine uiuo
» Abluero. item, - Hoc candentẽ in littore taurũ
» Conſtituam ante aras uoti reus, extaq; ſalſos

" Porriciam in fluctus, & uina liquentia fundam.
" Sic ait: & manibus uittas, Veſtamque potentem,
" Æternúmque adytis effert penetralibus ignem.

Quid ad omnes ritus religionis adminiſtrandæ diſcendos, ad omnem ſcientiam pontificiam & auguralem pernoſcendam, an non hæc nimis multa uidentur? Faber ferrarius quis optimus effici non poſſit ex Rami inſtituto, lectis hiſce uerſiculis Virgilianis?

" Ocius incubuere omnes, paritérque laborem
" Sortiti: fluit æs riuis, auríque metallum:
" Vulnificúſque calybs uaſta fornace liqueſcit.
" Septenos orbibus orbes
" Impediunt: alij uentoſis follibus auras
" Accipiunt, reddúntque: alij ſtridentia tingunt
" Æra lacu: gemuit impoſitis incudibus antrum.
" Illi inter ſeſe multa ui brachia tollunt
" In numerum: uerſantq; tenaci forcipe maſſam.

Rei uero militaris partes, officia & totam ſcientiam non unus locus, ſed quamplurimi ex poſterioribus eiuſdē Æneidos libris docebunt. Quid? rei nauticæ non pro omnibus doctoribus quintus liber ſuffecerit? Quid? uenari nō hæc doceant?

Retia rara plagæ, lato uenabula ferro,
Maſſilíque ruunt equites & odora canum uis,

& quæ in eandem ſententiā ſequuntur, ut ex Rami præclaro inſtituto unus Virgilius non ad philoſophiam modo, ſed etiam ad reliquas omnes artes cognoſcendas ſatis eſſe uideatur. Sed oratores

tores poetáſq; ne quis nos odiſſe aut morbo tuæ
procacitatis inſectari uelle putet, miſſos facia-
mus: quos ut cum philoſophis miſcere, iiſdem
æquare aut anteponere nolumus, ita admira-
mur, amamus, ſumma cum delectatione lectita-
mus, & pueris cum iudicio ſuo tempore explica-
ri uolumus. Ad maiorum noſtrorum leges, qui-
buſcum tuum hoc audax facinus pugnat, quas cõ
» torte citaſti, & deprauaſti, ueniamus. Leges, in-
» quis, trecẽteſimo quinquageſimo quinto ab hinc
» anno ſcriptæ grammaticos auctores Priſcianum
» minorem & maiorem, Barbariſmúmque cum
» libris philoſophicis explicari imperant. Quãtum
lex illa pro te faciat, quod tu delirij tui errore cæ-
cus uidere non potes, is demum uere iudicabit,
qui temporis illius ſtatum legéſque Totouillæis
ſanctionibus, aliiſque recentioribus abrogatas,
paulo attentius conſiderabit. Rerum omnium,
ut ipſius hominis, quæ temporis progreſſu ma-
gnæ euaſerunt, exigua quondam initia rudi tum
& informi ſtatu fuiſſe, neque quicquam ſimul
inuentum & perfectum eſſe, nemo modo com-
muni ſenſu præditus ignorat. Non enim aliter
quàm homines res humanæ uarios ætatum gra-
dus progreſſúſque habere uidentur: ſuam quaſi
infantiam primum infirmam & alieno præſidio
indigentem oſtendunt: hinc adoleſcẽtiam uelut
ſanguine & calore uigentem quidem, ſed cõſilij,
ſine quo res magnæ non geruntur, inopem pro-

dunt. Sequitur tanquam iuuentus & uirilis maturáque ætas, in qua robur cum conſilio coniunctũ uiſitur, qui ſtatus optimus & perfectiſſimus iudicatur. Hâc rurſus excipit triſtis & caduca ſenectus, ex qua rerum maxime inclinationes & ſæpe ſubuerſiones conſequuntur. Quem poſtremum ſeneſcentem & ueluti decoquentem ſtatum qui ad optimũ & perfectiſſimum reducere uelit, non opinor ad hanc quam dixi adoleſcentiam aut infantiam, quæ multis gradibus à ſtatu perfecto diſiunctæ ſunt, ſed ad ætatem uirilem reuocauerit. Hâc igitur noſtram ſcholam quam in philoſophia conſenuiſſe quodammodo & decoxiſſe fateor, ſi ad optimum aliquem ſtatum reuocare uelis, ad primum illum ſtatum uelut urſi partum rudem, impolitum & informem fruſtra exegeris. Fruſtra legibus antiquatis & obſoletis uelut carminibus ſaliaribus &

" Verſibu' quos olim Fauni uatéſque canebant.

optimum tradẽdarum artium ſtatum informare contenderis. Nam (ut ingenue quod uerum eſt fatear) neque ego neque tu Rame, neq; qui utroque noſtrũ & iudicij bonitate, & ingenij acumine, & longo rerũ uſu plus uidet, quo ordine, qua ratione & uia omnia hæc in hac ſchola tum adminiſtrarentur, uere pronuntiare poteſt. Ex his enim tam cõfuſis & male digeſtis ſcriptis in hac ſchola

" Quis Latio antiquo fuerit ſtatus,

(ut cum Virgilio loquar)

Et

" Et meminiſtis enim diuæ, & memorare poteſtis:
" Ad nos uix tenuis famæ perlabitur aura.

Aliud tibi ius, alij mores, alius rerum ſtatus, aliæ leges aduocandæ ſunt. Eas dico quas à cardinali Totouillæo nobis tum ex ueteribus retẽtas, tum nouas conditas eſſe conſtat, quas etiam hæc ipſa ſchola cũ res poſtulauit, poſt Totouillæas ſibi ſciuit & tulit, quas nobis ſenatus moribus degenerantibus ſanxit, quas pontifices & reges cõmuni conuẽtione ut præmiis & honoribus artes alerẽt, & ad eas colendas hominũ animos exuſcitarent, nobis cõdiderunt: has quibus illæ tanq̃ caligãtes tenebræ aduentanti auroræ ceſſerunt, tibi appellandas, & ad confirmandũ quod uis proferẽdas eſſe Rame dico. In his omnibus ſi tu eas paulo diligentius refrigerato calore, qui te in errorẽ præcipitem egit, tecũ expẽdere uoles, Priſciani, Barbariſmi, Alexandi inter libros philoſophicos diſtinctis iam & diſcretis docentiũ muneribus nullam fieri mentionẽ animaduertes. Atque ut id cõmodius de ſcripto palam fiat, leges Totouillæas à te citatas proferamus. Ad logicas artes, inquit, niſi
" prius in grammaticis competẽter edoctum, ne-
" minem admittito. Ad determinantias niſi Do-
" ctrinale & Græciſmum audierint, neminem re-
" cipito. Quid ais Rame? iſtæ'ne leges imperant ut grammaticos cum philoſophis permiſceamus? Eas tu non hac tua populari trutina, ſed tanquam aurificũ philoſophica ſtatera expende, ad logicas

artes niſi cōpetenter in grāmaticis edoctū admitti uetant: hoccine eſt grammaticos philoſophis permiſcere, non ſecernere, nō ſeparare? Quis unquam præter te ex his uerbis iſtam ſentētiam eliceret? Si ad logicas artes quæ in philoſophia primæ ſunt, neminem admittit niſi quantū ſatis eſt in grammaticis uerſatum, an haſce grammatices & philoſophiæ uices non ſatis diſcretas & ſeparatas eſſe oſtendit? Hac quidē in re facile perſpici poteſt quid in Ariſtotele uidere potueris, qui in lege tam aperta tā turpiter allucinatus ſis. Quid? ſi in actu quem uocant determinantiarum examinari & interrogari ſtudioſos iubet, an Doctrinale & quædam ad grammaticen pertinētia audierint: quod etiam hodie fieri ignorare non debes, propterea ne confundi & permiſceri grammaticos cum philoſophis ex ſententia legis oportere affirmabis? Quid etiam ad id reſpondebis, quod diſerte in eadem lege Totouillæa his ipſis
" uerbis expreſſum eſt. Mandamus, inquit, quod
" ſcholares antequam ad determinandum in arti-
" bus admittantur, congrue ſint in grāmatica edo-
" cti, & Doctrinale ac Græciſmum legerint uel au
" dierint, dūmodo in ſtudiis aut aliis locis ubi grā-
" maticam audiuerunt, dicti libri legātur. Quo ex loco non ſolum à philoſophici curſus libris excluſos eſſe grammaticorum libros colligi poteſt, uerumetiam perſpici ſtudioſos artium illis temporibus fere omnes domi extra hāc ſcholam grammaticen

maticé doctos philoſophiæ ſolius cauſa huc uen-
titaſſe. Quid ad formam iuriſiurandi dices, quod
per Cancellarium ſcholæ à ſtudioſis philoſophię
ante gradus exigi ſolet uetuſto codice deſcriptã?
» Ea ſic habet. Iurabitis quòd ſtuduiſtis per tres an-
» nos in artibus &c. cui ſtatim ſubiūgitur. Hoc ſta-
» tutum fuit interpretatum per facultatem artium
» abſque grammatica. Qua interpretatione quum
illi poetas, hiſtoricos, oratoréſq; grammaticæ no
mine cõplexi ſint, quod unum recte uidiſti, quid
apertius efficaciúſque ad diſſoluendam hãc tuam
coniunctionem adferri poteſt? Hic uigila Rame,
& laqueos tuæ ſubtilis dialectices quibus omnes
induis, expedi: quàm hîc tibi negotium confectũ
non ſit, cognoſce. Quid? quod iampridem in hac
ſchola edictum eſt, & biennio proximo renoua-
» tum, ne grammatici quod philoſophorum eſt,
» néue philoſophi quod grammaticorum, uſurpa-
» rent, ſed ſuis finibus ſe continerent: tu legem eſſe
negabis? Quod primum inter delectos ab omni-
bus ordinibus cõceptum, publica poſtea relatio-
ne omniũ conſenſu latũ, mox ſenatuſconſulto cõ
probatũ, & per curiæ uiatorē eiuſdē ſenatus edi-
cto in omnibus gymnaſiis, gymnaſiarchis in id
iurantibus recitatũ, id tibi pro lege nõ erit? Tu, tu
Rame, cũ ſenatus iuſſu in tuo gymnaſio recitare-
tur, & publice proponeretur, quantũuis exlegem
te profiteare, in hoc legis inter cætera caput iuraſ
ſe inficiari non potes. Ita cum tu eam eſſe legem

negas, unà & ſenatum circũſcribis, cuius conſulta & decreta legis uim habere nõ uis, & te periurij alligas, qui nunc edito ſcripto legem infirmas quam iureiurando tuo comprobaſti. Magnũ incipis, qui ſenatus amplitudinem & dignitatem in curia, ubi orationem tuam, falſo tamen, habitam facis, imminuere cupis. Tu ordinem de ſe tam male meriturũ ſperaſti, ut cõtra ſuum decretum pro te iudicaret, cum in litibus priuatis res ſenatus ſententia iudicatæ momentum legis habeãt, in conſtituenda diſciplina legis pondus ſenatuſconſulta non habebũt? Hîc non pluris ſenatũ, cuius auxilium imploras, quàm Ariſtotelẽ facis: tãtúmque iuris tibi ſumis, ut neq; lex illa ſit, quam non iuſſeris, neque philoſophus numeretur, quẽ nolis. At à pontifice & rege, quorum eſt meritibus præmia proponere, confirmata non eſt. Quis hunc è Scythia Anacharſin tam hoſpitẽ & peregrinum nobis adduxit? Quam tu igitur eam legẽ eſſe putas, quæ nobis ordine ſacerdotia defert, laborum uigiliarúmque noſtrarum præmia proponit, quæ uitæ ſubſidia atque ornamenta nobis conſtituit? Quidnam illa nobis imperat, quas cõditiones imponit? Audiamus ipſius legis uerba, nihil immutemus, nihil fingamus. Quinquẽniũ, inquit, in magiſtris ſeu licentiatis in artibus cum rigore examinis à logicalibus incluſiue, & in altiore facultate numerandum decernimus. Quæro abs te cum hæc lex quinquẽnium à logicis inchoet,

 choet,

choet, grammaticen, poeticen, reliquáſque ante doceri ſolitas non appellet, an non eas ſatis excludere uideatur? Cum igitur ſenatuſconſultum nihil aliud quàm hæc regia pontificiáque lex, cuius eadem mens uolútáſq; eſt, ſentiat ac uelit: debuit profecto ſi non propter ordinis ſenatorij auctoritatem, at propter regis & pōtificis maieſtatem apud te pro lege ualere. Tuam ergo nouam atq; inſolentem inſtituendæ iuuētutis rationem, quæ à maiorum inſtitutis & huius ſcholæ legibus abhorret, quæ non ſolū tuis diſcipulis, ſed etiā toti huic ſcholæ periculum adfert, ne præmiis à rege pontificéque conceſſis ſpolietur, quæ illo iure ciuili quo utimur nullo modo tolerari poteſt, & ab ipſius iuuentutis utilitate maxime diſiuncta eſt, nos diſſimulādo latius ſerpere patiemur, & in nōſtram perniciem diutius feremus? Nā quæ iuſtior ulla reuocandi beneficij abrogandæq; legis cauſa adferri poteſt, quàm ſi nō modo legis præſcripto non pareamus, ſed illi maxime aduerſemur atq; repugnemus? Quæro igitur cum ſummus pontifex publica illa cōuentione cum principe noſtro facta, conſtituerit ut eccleſiarum antiſtites ſacerdotia ſtudioſis hominibus ſtatis temporibus iuſta & debita aliter cōferre minime poſſent, quàm ſi legitimum tēpus exegiſſent, ac præſcripta ſibi curricula expleſſent: cur quinquenniū illud quod magiſtris artium præſtituit, ab ea parte philoſophiæ quæ logica dicitur, numerandū eſſe ſtatuit?

Cur ab ea potiſſimum parte initium faciendum eſſe duxit? Cur denique ipſam logicæ traditionē præmiorum ſuorum quaſi ianuam eſſe decreuit? Certe cum illi ſapientiſſimi homines maiores noſtri iis tantum hominibus prǽmia conſtituta eſſe uellēt, qui in his grauioribus atque reip. maxime neceſſariis artibus uerſarentur: non grammaticę, non rhetoricæ, nō hiſtoriæ, nō poeticæ artis profeſſoribus præmia propoſuerunt. Quid ita? quoniā multos non defuturos arbitrati ſunt qui poetarum illecebris deliniti, cæterarúmque leuiorū artium facilitate capti, in iis ſtudioſe uerſarētur: qui uero ad has operoſiores artes, ac ut moleſtiarum, ita fructus dignitatíſq; plenas omne ſtudiū ſuum operámque conuerterent, paucos futuros. Itaque hos tantum præmiorum ſuorum participes eſſe uoluerūt, qui in dialectica reliquiſq; philoſophiæ partibus uerſati, aut ad ſacrarū literarū cognitionem, aut iuris ciuilis aut pontificij prudentiam, aut ad medicinæ diſciplinam tres illas ſcilicet artes reip. maxime neceſſarias ſeſe parant atque adornant. An nō ea legis mens conſiliúmque eſt, an eſt quiſquam qui ignoret hoc ius ita à maioribus noſtris conſtitutum, in mores iam receptum, à ſenatu curiáq; comprobatū eſſe? Quod cum ita ſit, ut philoſophiæ tantum iiſque quas ſupradiximus diſciplinis, quaſi præſtantioribus artibus atque ad reip. utilitatem magis accommodatis ac neceſſariis lex ipſa beneficium ſuum detulerit,

tulerit, cum de his tantũ ſummus pontifex princepsq; noſter communi edicto ſuo nominatim cautum eſſe uoluerint, an tu cõtra apertam legis ſententiam, contra perſpicuum legis ſenſum atque iudicium ad poeticæ profeſſores legis beneficium produces, à quo poetas excluſos ſine ulla dubitatione eſſe uoluit, ut plus calumnia tua quàm legis ius atque auctoritas poſſit? Nam quid legi magis aut contrarium aut repugnans dici fingíue poteſt, quàm cum ſolis philoſophis beneficiũ ſuum datum uoluit, poetis rhetoribúſque negatum, tu unà cum philoſophia poetas miſceas atq; confundas? Quid eſt cur beneficium ſcholæ peripateticæ ſectatoribus lege regia pontificiaq; propoſitum nouis tuis academicis negari querare? Cur ab ea ſchola præmia expectas, quã omnibus conuitiis laceras, quam deniq; moliris euertere? Quæ ſi tua ſententia ualebit, tuiſq; diſcipulis & ad uniuerſitatis honores & præmia aditus patebit, breui confirmo futurum, ſi quando res in cõtrouerſiam uenerit, ut nõ ſolum tuorum improbentur nomina, ſed & reliquorum in magnũ diſcrimen contentionemq; uocentur: periculúmq; eſt haud mediocre, ne eadem tandem conuulſa ruina, omnia ſcholæ priuilegia & prærogatiuæ collabãtur. Atqui ne ignores Rame, non huiuſce ſolum ætatis eſt, non horũ temporum, ut quæ liberalium artiũ profeſſoribus uacationes immunitatéſq; datæ ſunt, hæ in poetis minime ualeant,

Extat Philippi imperatoris conſtitutio in titulo De profeſſoribus & medicis libro decimo Codi-
» cis Iuſtiniani, in hæc uerba: Poetæ nulla immuni-
» tatis prærogatiua iuuetur. Simul etiã reſcriptum
» eſt de his qui primas literas pueros docent, ut ab
» Vlpiano l. Sextum decimũ De uacatione & excu
» ſat. munerũ in Pandectis. Denique una etiã omniũ uoce certũ apertúmq; eſt ſuprāſcripta illa lege no ſtra ſacerdotia neq; ad poeticæ, neq; ad rhetoricę artis profeſſores referri poſſe. Quod cum cõſtet ſolidúmq; ſit, quid ineptius aut alienius dici fingiue poteſt, q̃ quod poetis atq; rhetoribus negatũ eſt, ſi cum philoſophia coniũgantur, id eos obtinere poſſe putes? Quid eſt autẽ cum philoſophia poetas oratoréſque explicare, quàm ueterem peripateticorum philoſophiæ tradendæ rationem, quam hæc ſchola ſequitur, perturbando ſubuertere? Cuius qua fronte te patronum & defenſorẽ dicere audes, cum academicũ nouũ ſectas omnes ſubuertentem atque omnia incerta reddẽtem te profiteare? Quæ ſi docẽdi ratio ualebit, atq; probabitur, quæ iam ulla tẽporis præfinitio, qui curriculi modus reperiri poterit, cum uno eodemq; tempore & poeſis cum dialectica, & rhetorica cũ mathematicis confuſe omnia atq; permixte adoleſcentibus tradentur? Quid enim cõmune cum rhetoribus geometris eſſe poteſt? cũ hi certa percepta, euidentia & neceſſaria, illi uerò uix ueri imaginẽ referẽtia ſequantur? Quæ inter hæc affinitas

nitas

nitas aut cognatio poteſt oſtẽdi? Quę omnia multo aptius & utilius ad perſpicue intelligẽdi & memoriæ mandãdi facultatẽ adminiſtrabũtur, ſi ſingulę diſcretæ atq; ordine pro ætatis ratione docebũtur. Sed ad id tandẽ ueniamus, quod ad probãdam huius eloquentiæ cum ſapientia cõiunctionẽ extremũ falſo attuliſti. An Craſſus rhetoras quod philoſophiam non docerent, & Domitianus philoſophos quòd eloquentes nõ eſſent, Romá atq; Italia expulit? Pudet me ignorantiæ tuæ Rame, impudentiæ uehementer piget. Itáne antiquitatis & hiſtoriarum imperitus es, ut qua de cauſa iſti Româ expulſi ſint dicere non poſſis? Adeóne improbus ut cognita uera cauſa ad cõfirmãdam tuam uecordiam falſam cõminiſci uelis? Si Aulum Gellium aut Suetoniũ legiſſes, id tu unquam ſcribere & in lucẽ emittere auſus eſſes? Sed quando tu tuum errorem ex Craſſi dictis male acceptis probare uoluiſti, eorum auctorum quos citauimus uerbis, priuſquã rationibus noſtris falſam te cauſam commentum eſſe conuincamus.

» C. Fannio Strabone, inquit Gellius, & M. Va-
» lerio Meſſala c o s s. ſenatuſconſultum de rhe-
» toribus & philoſophis latinis factum eſt, ut Mar-
» cus Pomponius prætor animaduerteret curarét-
» que, ut ei è repub. fideq; ſua uideretur, uti Romæ
» ne eſſent: aliquot deinde annis poſt à Domitio
Octobarbo & Licinio Craſſo renouatũ, & in hũc
» modum edictum. Renũciatum eſt nobis eſſe ho-

" mines qui nouum diſciplinæ genus inſtituerunt,
" ad quos iuuentus in ludũ conueniat, eos ſibi no-
" men impoſuiſſe latinos rhetoras, ibi homines a-
" doleſcentulos dies totos deſidere, maiores noſtri
" quid liberos ſuos diſcere, & quos in ludos itare
" uellent, inſtituerunt: hæc noua quæ præter con-
" ſuetudinem & morem maiorum fiunt, non pla-
" cent, neque recta uidentur, quapropter & iis qui
" eos ludos habent, & iis qui eò uenire conſueue-
" runt, uiſum eſt faciendum, ut oſtenderemus no-
" ſtram ſententiam nobis non placere. Ex his ſe-
natuſconſulti uerbis bona fide à Gellio citatis, fal
ſámne te cauſam ementitum cernis? Quando e-
nim ante illa quæ à Gellio notantur tempora,
philoſophia aut rhetorica Romę ſcholis publicis
explicata fuit? quando hæc quam hic confingis
coniunctio expetita? quando quid eſſet in his
proprium, commune, aut quo ab altero alterum
differret intellectum? quando denique uel ſolum
earum nomen auditum? an non potius quod ma
iorum diſciplinam corrumpi, morũ grauitatem
labefactari, à reip. adminiſtratione & diſciplina
militari abduci iuuentutem peregrinarũ artiũ (ut
loquebantur) inuctis nolent, illos prohibẽdos ci-
uitate temporibus artiũ ignaris atque inſolenti-
bus exiſtimarũt? De quo ne dubitare poſſis, quid
" ſubiungat Gellius cognoſce: Neque (inquit ille)
" illis ſolum temporibus nondum græca doctrina
" expolitis philoſophi ex urbe Roma pulſi ſunt,
uerum-

" uerumetiam Domitiano imperante ſenatuſcon-
" ſulto eiecti atque urbe & Italia interdicti, qua tẽ-
" peſtate Epictetus quoque philoſophus propter
" id ſenatuſcõſultum Nicopolim Roma diſceſſit.
Quę hic locum cauſæ huius eiectionis à te falſo confictæ eſſe iudicas? Quæ enim temporibus Domitiani erepta reip. ſua libertate, cum dominatu unius omnia tenerentur, tanta Romæ eloquentia expetebatur? cur à Domitiano tyrãno omnes in quibus eſſet eloquentia aut opes occidente, philoſophi quòd eloquentiam cum philoſophia non coniungerent, urbe pellerentur? Si parũ tibi Gellius & uetus ſenatuſconſultum fidem faciũt, qui ne ſenſibus quidem credere ſoles, nõ te Suetonius multo plenius & diſertius dum horũ expellendorum cauſam refert, te ad tuum errorem cognoſcendum adducet? Quid dicat uerbis clà-
" riſſimis audi. Iunium, inquit, Ruſticũ interemit,
" quòd peti Thraſeæ & Heluidij Priſci laudes e-
" didiſſet, appellaſſetque eos ſanctiſſimos uiros:
" cuius criminis occaſione philoſophos omnes ur-
" be Italiaque ſummouit. Hic aperte uides tyrannum quòd laudatos philoſophos duos & ſanctiſſimos dictos indigne ferret, omnes urbe pepuliſſe. Cur Craſſo dum oratorem ſuum ornare & ſupra quàm ratio fert amplificare ſtudet, omnia in quibus aliquid probabile eluceret colligẽti, & leues coniecturas potius quàm rationem ſequenti, credere potius q̃ incorruptis antiquitatis mo-

numentis, id eſt ſenatuſcōſulto uetuſto & cenſorio edicto, q̃ Gellio, quàm Suetonio, quàm rationi & ueritati maluiſti? Si iſtos auctores legeras tã aperte & plane huius eiectionis cauſam explicantes, quis tuam improbitatem ferendam diutius putauerit? Si non legeras, quis hanc tuam temeritatem tanta ignorantia atque imprudentia nixam, puniendã non duxerit? Quòd ſi hodie Craſſus ab inferis excitatus in hac urbe cẽſor degeret, & quod à te multis iam annis inſtituitur, intelligeret: mihi crede Rame, ſtatim te impudentiæ ludum claudere iuberet: te ſtatim in otium traderet, & ad carbonariam fuliginoſi patris tui fornacem qua gloriaris, quam fortaſſe non tam ſiniſtre, quàm hanc literariam palæſtram exerceres, relegaret. Sed ad formam rationémque quam in Ariſtotele ſuis diſcipulis explicando ſeruat, redeamus, utque in eo multo melius quàm nos omnes huius ſcholæ legibus & maiorũ inſtitutis
„ pareat, uideamus. Philoſophiam (inquit) malim
„ pueris ex euangelio per aliquem probatis mori-
„ bus theologum, quàm ex Ariſtotele per philoſo-
„ phum tradi. Puer impietates multas ex Ariſtote-
„ le diſcet, quas uerendum ne nimis ſero dediſcat:
„ beatitudinis principium ex homine oriri: beati-
„ tudinis finem in homine terminari: uirtutes om-
„ nes hominis facultate contineri: eas ex hominis
„ natura arte & induſtria comparari: deum ad hæc
„ opera quanuis magna & diuina non adhiberi: di-

uinam

» uinam prouidentiam nullam proponi: de iuſti-
» tia diuina, de prouidentia nullum uerbum fieri:
» animos mortales eſſe, uel certe id Ariſtoteli pro-
» batum uideri, ideóque ab eo beatitudinem homi
» nis in hac caduca uita conſtitui: moralis philoſo-
» phiæ finem eſſe bene & beate uiuere, à quo philo
» ſophia Ariſtotelis nos auocet: magnum fuiſſe ue
» teribus religionis Chriſtianæ doctoribus contra
» doctrinam gẽtium, quarum doctor Ariſtoteles,
» graue certamen ſuſcipere, ut excuterent de ma-
» nibus Chriſtianorum: nos ſanctiores cõtemptis
» eorum ſtudiis, hanc Ariſtotelis philoſophiam nõ
» modo reiicere, ſed, proh pudor, Chriſtianæ reli-
» gionis ueluti fundamẽtum facere: hoc enim no-
» mine Ariſtotelicas animaduerſiones quòd theo-
» logiam eneruarent, quòd Ariſtotelis auctoritatẽ
» improbarent, accuſatas. Quem hic Ariſtotelicæ
philoſophiæ explicatorem, quem huius ſcholæ
patronum contra Ariſtoteleorum importunitatem audio? Hoccine eſt maiorũ noſtrorum inſtitutis, & ueteribus de tradendarum artium ordine legibus ſtare? hoccine eſt ueterum morem conſuetudinemque docendæ philoſophiæ ſeruare? hoccine eſt legibus ſuperiore biennio de finibus grammaticorũ philoſophorumque renouatis, ſenatuſconſulto comprobatis, in quarum uerba eiuſdem ſenatus edicto iuraueris, parere? hoccine eſt textum Ariſtotelicum, quod in tuo gymnaſio fieri ais, aſſidue docere? Quî enim

inter ſe iſta cohærent, Ariſtotelem plenum impietatum eſſe, & quod poſtea ſubiũxiſti, & in prima libri tui parte poſuiſti, plenum rerum inutilium, quæque uitæ humanę nullum fructum adferunt, eumque breuiter ſententiis ſummis in cõpendium cõtractis, explicandum eſſe: & Ariſtotelis doctrinam ſequi, Ariſtotelicæ laudis cõſuetudinem imitari, Ariſtotelicum textum aſſidue ex ſcholæ præſcripto docere? Quid enim aliud cũ hac exceptione Ariſtotelis explicatio eſſe poteſt, quàm quod ex tuorum dictatis & auditorum ſermone percrebruit, mera Ariſtotelis irriſio, cõtumelia & ſuggillatio? ut uere factum tuum expẽdẽti multo ſatius fuerit aperto marte (quod prius feceras) Ariſtotelem oppreſſum in extremas ſolitudines relegaſſe, quàm ad tantum opprobriũ, inſectationem & infamiã retinuiſſe. Itaq; quod ante tibi faciendum contendebã Rame, ut antequam hunc poſtremum librum euulgares, ſuperius illud tuum de Ariſtotele iudicium damnares, aut corrigeres diligentius, animaduerſis quæ iam à te dicta protulimus, muto: tibi nulla recantatione opus eſſe confirmo: alia ſolum perſona tibi ad fallendum circumpoſita, eundẽ qui prius, re ipſa deprehendo. Quod capta Troia rebus deſperatis, Androgeo cum ſociis circunuento Corœbum feciſſe Virgilius ait, te per hoſce annos nimia bonorum patientia ſtultitiæ tuæ aliquo ſucceſſu imitatum uideo.

» O ſocij,quà prima(inquit) fortuna ſalutis
» Monſtrat iter,quaq́; oſtẽdit ſe dextra, ſequamur:
» Mutemus clypeos,Danaumq́; inſignia no bis
» Aptemus,dolus an uirtus quis in hoſte requirat?
» Arma dabũt ipſi. - Hũc tu ſecutus noſtris armis aſſimulatis ad nos fallendos indutus, nobis hoc pernicioſo libello exitium machinaris,uenenum gemmeo poculo melle oblito propinas.
» Non aliter pueris abſynthia tetra
» Nõ medẽtes,ſed ueneficí, ut Lucretii carmẽ à te citatum uerbo mutato in te retorqueam,
» Cum dare conantur prius oras pocula circum
» Contingunt mellis dulci flauóque liquore,
» Vt puerorum ætas improuida ludificetur.

Atq; ut ſingulas Ariſtotelis(ut uis)impietates ordine percurramus,quo iudicio aut ratione adductus philoſophiæ doctrinam ex euangelio quã ex philoſophorũ principe Ariſtotele diſcere pueros maluiſti? nempe ꝙ Ariſtotelica cũ euangelio pugnare ex diametro exiſtimares.In quo quàm magno in errore uerſere,ut paucis intelligas, efficiã. Quæ de uita & moribus à philoſophis tradũtur, & de Chriſtiana iuſtitia euangelio continentur, ut non eadem dicenda,ita nullo modo pugnãtia iudicanda ſunt.Philoſophia hominem natura ad peccatum propenſum animaduertẽs, peccati tamen originem ignorãs,dat operam ut quaſi puerum aut ægrũ non ſatis firma ueſtigia imprimentem, manu porrecta lapſantẽ erigat, & ad firmã

ambulationem aſſuefaciat:ſic hominis intempe-
rantia aſſidua uirtutis exrcitatione ad perfectum
habitum,quantum humana natura fert, perdu-
cat. Ea ratione communi etiam his officia dictá-
„ te, qui deum non cognouerunt,ut diuus Paulus
„ teſtatur,quomodo domi in familia, foris in reip.
„ adminiſtratione, publice & priuatim cũ omni-
„ bus hominibus honeſte uiuẽdum, & in omnibus
„ officiis actionibúſque uitæ uerſandum ſit: ita nos
admonet & docet, ita libidines noſtas & cupidi-
tates frenat, ut natura duce etiam citra euangelij
cognitionem iuſti,temperantes,fortes dici quea-
mus. Quæ bene uiuendi præcepta ex natura ut ci
bi ſomniq; capiendi neceſſitatem, tantum abeſt
ut improbet,damnet,aut ſecum pugnare euange
liũ arguat, ut ore ſuo clementiſſimus ſeruator no
ſter Chriſtus,ſanctíque eius apoſtoli grauiſsimis
„ teſtimoniis nõ ſemel cõprobarint. Quoties enim
„ tum ab ipſo Chriſto euangelij regnum non eſſe
„ huius mundi,ſe non ueniſſe in mũdum ut legem
„ ſoluat ſed perficiat, reddenda Cæſari quæ ſunt
„ Cæſaris:tum ab illis,regibus magiſtratibúſq; etiã
„ malis,quòd ex dei ordinatione gladium portent,
„ obediendum eſſe monemur? Quibus quid aliud
ſignificatur,quàm,quæ à philoſophis de uita &
moribus, de officiis actionibúſque uitæ tradita
ſunt,eatenus à deo probari, dum aliam beatitudi
nem illa humana potiorẽ ex euangelio nobis ſpe-
randam intelligamus? Philoſophiæ doctrina quæ

ſit,

ſit,quæ ſecundum naturam nos bene uiuere doceat,uides:quæ autem euangelij ſit,quę tanquam faſtigium philoſophorũ felicitati imponat, quantum olim legendis ſacris ſcriptoribus horis ſubſeciuis cognoſcere potui,dicam.Qui ſit fons perennis peccati,& in hominibus tanquã perpetuus fomes,népe primi parentis peccatũ originis,quæ dei uoluntas,cui obſiſtendũ nõ ſit,ut illum timere,ut ab eo ſalutem ſperare,illi fidere, proximum diligere,peccatorum remiſſioné & æternam ſalutem per effuſionem pretioſi Chriſti ſanguinis ſpiritu ſancto noſtra corda illuſtrante conſequi debeamus,euangelij doctrina philoſophiæ ſuam dignitatem non detrahente certiores efficimur. Quæ omnia ut pueri per probatũ aliquem theologum doceantur, tantum abeſt ut improbem, ut talem magno ſtipendio conductum meas uices obeuntem in meo gymnaſio habeam , qui diebus feſtis & pueros & pręceptores religionem & Chriſtianam pietatem publice doceat. Verùm ut eo more,quem tu introducis,id faciat,ut euãgelio docendo Ariſtotelis philoſophiam excludat,ut ita pietatem in deum & religionem commendet,ut de officiis diſciplinı́ſque ad uſum uitæ colendum neceſſariis, nullum uerbum fieri permittat,nullo certe modo tulerim.Talem ego theologum Rame,quales Chriſtus ſuos apoſtolos,ſeque ipſum nobis exhibuit ad æternam ſalutem ita uocantem,ut de uita,moribus & officiis

ſilentium non indicat, magno comparatum cupiam: qui autem, qua ratione uis, ad uſus omnes humanæ uitæ pueros meæ fidei creditos inutiles reddat, tecum ſtatim longũ ualere iuſſerim. Qua enim alia ratione ſuperioribus annis ſceleratos catabaptiſtas reliquóſque fanaticos in Germania tumultuantes ruſticos ad rerum publicarum ſubuerſionem graſſatos eſſe putas? Quòd ſi quia euangelij doctrina ex Ariſtotelis philoſophia nõ cognoſcatur, eũ idcirco exilio multandũ cenſes, quem è græcis latiníſque auctoribus, quibus in ſcholis ad humanitatem & uirtutem puerorum ingenia excolamus, retinendum cenſebis? Quis eſt omnino eorũ quos in ſcholis interpretamur, qui de Chriſtiana iuſtitia uerbum ullum fecerit, qui Chriſtum cognouerit, aut non etiam ore nefario impugnauerit? E græcís ne Platonem adhibebis? At dum ille theologũ uerius quàm philoſophum agit, quot in eo deliria & tanquam ægrorum ſomnia deprehendes? Theophraſtúmne? at is à ſuo præceptore Ariſtotele uix latum unguẽ diſceſſit, & ita ad eius imitationẽ omnia ſua edidit, ut niſi quod fortunæ, ut ait Cicero, paulo plus quàm Ariſtoteles tribuit, pro ipſo Ariſtotele accipiendus uideatur. Quem cum ſæpius appelles, laudes, mirere & legendum proponas, mirum uideri poſſit, cur Ariſtotelem, cui ille omnia debet, quem ubique ſequitur, odiſſe, inſectari & uituperare poſſis. Quos igitur, poetáſne, Homerum

rum

rum & Virgilium? at hi tantum abeſt ut de religione uere locuti ſint,ut cum deorum uirtutes & bona ad homines transferre debuerint, hominũ flagitia,ſtupra,adulteria,iras & odia ad deos nefarie tranſtulerint.Iouem enim deorum ſummũ, qui templa cæli ſummo ſonitu concutit,ut ait comicus,ad explendam fœdam libidinem, ita nobis in uarias pecudum aliarúmq; rerum formas conuerſum deformarũt,ut nemo ſanus ſuum agaſonem aut mullionem tanta turpitudine inquinatum & infamem in ſuis ædibus horam unã ferre poſſit. Lucretiúmne(ut inquis) quòd totus phyſicus ſit,adiunges?pus & uenenũ gutture patenti uomere Lucretio nominato mihi uideris. Sacrilegúmne hominem omnem diuinam prouidentiam è rebus humanis tollẽtem,& religionem deorúmque metum in ſummis malis numerantem,mundos infinitos ex inſectilibus corpuſculis fortuito concurſu in uacuo infinito cohærentibus conſtituentem,& ex iiſdẽ animas mortales fabricantem, pueris legendũ propones? Pudet me miſeriæ & cæcitatis tuæ Rame,qui omnium religionum iuratum hoſtẽ,indoctæ & ueſanæ philoſophiæ Epicureæ patronum longe omnium furioſiſſimum amentiſſimúmque pueris legendum eſſe exiſtimes. Demoſthenem fortaſſe & Ciceronem duo eloquentiæ lumina retinebis? At illi tantum abeſt ut quicquam quod ad noſtram religionẽ attineat locuti ſint, ut cum unũ

ſibi finē ſuis auditoribus perſuadere propoſuiſſent, frequenter impia protuliſſe conuincātur: ut etiam Cicero cum ſiniſtro quodam genio in Philonem academicæ ſectæ quæ ad omnem impietatem feneſtram aperit, renouatorem incidiſſet, ſuos libros philoſophicos nefariis opinionibus referſerit. Lucianum, Suetoniū, Plinium, aut è medicis Galenū propones? at illi tam nefaria & impia in Chriſtianos, ipſum noſtrū caput Chriſtū, contráque animorū immortalitatē & alia Chriſtianorum placita ore ſacrilego elatrarūt, ut niſi ab eo qui & inſigniter doctus, & uere cōſtanterq; Chriſtianus ſit, explicandi ſuſcipiātur, in ſcholas admittēdos non exiſtimē. Cū igitur Ariſtotelem in quo nō modo multa inutilia & ſuperuacanea, uerum etiam impia eſſe cōtendis, ne ab eo pueri prauis opinionibus inficiātur, explicari uetes, aut certę ita retineas, ut indignis à te modis mutilatū tanquam Deiphobum Virgilianum intueamur,

„ - Lacerum crudeliter ora,
„ Ora manúſq; ambas populataq́; tempora raptis
„ Auribus, & truncas inhoneſto uulnere nares,
„ Vix adeo notum pauitantem & dira tegentem
„ Supplicia, - cur nō ſcriptores quoq; omnes reliquos in quibus nulla pietatis Chriſtianę mētio, immo multa nefaria & impia ſunt, ſubmoues? Sed age, Ariſtotelicas impietates ſingulas diſquiramus: deinde ſuperuacanea illa & inutilia, & quàm recte compēdiolis & pauculis ſummis capitibus

pitibus

pitibus Ariſtotelem explicet, excutiamus. Cũ iudicium rationis & uolũtas ei obtemperans cauſæ ſint actionum honeſtarũ in quibus felicitas conſiſtat, eáq; in homine uſu exercitata ciuilium & moraliũ uirtutũ externa opera non minus certo, q̃ geometriæ aut architectonicæ perficiant, quid impiũ Ariſtotelẽ feciſſe dicas, qui talem felicitatẽ hominis facultate comparari, principiũ in homine habere, & in eodem fine terminari dixerit? Natura enim optima uiuendi dux, uirtutum igniculos & ſemina quædã nobis ingenerauit, quæ aſſidue exercendo in habitum uirtutis tam firmũ prouehũtur, ut iam nullo fortunę loco relicto per nos ipſos noſtris uiribus uirtutis compotes efficiamur. Virtutẽ cum hîc appello Rame, ne à differentia philoſophiæ & theologiæ à nobis conſtituta recedamus, moralem & ciuilem in hominis natura poſitam appello, qua uides & Romanos olim & Græcos barbaróſque & hodie euangelio infeſtas gẽtes excellere: Chriſtianã qua deo probamur, & iuſti ęternam ſalutẽ conſequimur, ſemper exceptam uolo. de qua ſi tu ageres, quam per dei miſericordiã ſpiritu ſancto noſtris cordibus illabente nõ naturæ noſtræ uiribus cõſequimur: de qua nec Ariſtoteles nec philoſophorum ullus unquam ſuſpicatus eſt, aliqua ratione niti tua reprehenſio uideretur. Ad quam cum illa admirabilia per literas ſacras ſparſa referenda ſciamus
» nõ eſſe uolentis neq; currentis, ſed miſerẽtis dei,

" & ſpiritū ſpirare ubi uelit, & neminem uenire ad " Chriſtum niſi pater illum attraxerit, eā non ex ar- " bitrij libertate puróque & communi hominū ſta " tu, ſed peculiari ſpiritus ſancti beneficio nos con- " ſequi affirmamus. Felicitaté ab Ariſtotele naturæ morúmque finibus terminatam noſtris uiribus exercitatione firmatis nō aliter cōſequimur, quàm terram naturæ ſuæ ui quotānis fruges ferre animaduertimus. In quo quemadmodum qui Chriſtiani ſumus, non negamus quin ut terra & arbores ne fructus ſolitos ferāt, tempeſtate nonnūquam impediantur: ita homines quālibet exercitatos affectuum uiolentia malo genio inſtigante, à recto rationis iudicio interdum abduci cōfitemur. Quæ cum ita habeant, itaq; præclare defendi poſſint, quid ſi & hāc ipſam felicitatem ad deum omnium bonorum auctorem quodāmodo Ariſtotelē referre oſtendā, te calumniatorem eſſe negabis? Cum enim ille quæſiuiſſet num doctrina, conſuetudine, an diuina aliqua cauſa, an fortuito uirtus pararetur, quid ſubiunxit? ipſius " enim uerba aſcribamus. Ac ſi quod, inquit, à diis " munus hominibus eſt, conſentaneū eſt felicitaté " etiam datam eſſe à diis, eoq; maxime ꝙ rebus hu- " manis melior eſt & pręſtantior. Quid quod locis aliis quāplurimis dei prouidentiā fatetur & celebrat? An nō te in eo quod ipſum omnis doctrinæ uirtutíſq; parentem impium facis, impietatis al- " ligas? quid ait Ethicorum decimo? Si dij, inquit,

» res humanas curant, ſicuti curant, profecto il-
» lud eſt conſentaneum, ut re delectentur, & opti-
» ma, & quæ generis ſocietate cum ipſis ſit con-
» iunctiſſima, qualis mens uidetur eſſe: iisque ho-
» minibus qui eam rem maxime ament & colant,
» beneficia reddant, quòd res eas curant illi, quas
» habent charas, recteq; ac pręclare facta ſequãtur.
» Nec uero dubium eſt quin hæc ipſa inſint omnia
» ſapienti, ergo deo chariſſimus eſt, idémque bea-
» tiſſimus eſſe debet, ita ſapiens maxime beatus fu-
» turus. Idem in libro de Mundo, ubi de cauſis uni-
» uerſum cõtinentibus agit, grauiter & copioſe do
» cet uniuerſa à deo & per deum nobis eſſe conſti-
» tuta: cumq; cunctorum quæ rerum natura com-
» plectitur, ſeruator ſit, tum uero quæcunq; in hoc
» mundo quoquo modo perficiantur, eorũ omniũ
» eundem genitorem eſſe & parentem: non ſic ta-
» men ut ipſe opificis in morem animalíſque laſſi-
» tudiné ſentiétis labore affici poſſit, ut qui ea facul
» tate utatur, quæ nulli cedat difficultati, cuius ipſe
» ui facultatis omnia in poteſtate cõtineat, nec mi-
» nus etiã quæ longius ab ipſo credantur eſſe ſum-
» mota. Et Moralium maiorum ſecundo, ubi agit
» de fortuna, ita inquit · Nunquid ſecunda fortu-
» na eſt ut deorum quædam cura, an id minime ui
» deri debet: iis ſiquidem præficimus deum ut bo-
» na maláque meritis diſtribuat. Duodecimo Me-
» taphyſicorũ, ubi de bono uniuerſi diſputat, du-
» bitandum non eſſe, quin mundus boni natura &

" illius quidem ſummi præditus ſit docet, non ta-
" men ſatis exploratum eſſe, quænam ea uis pręſtā
" tiſſima ſit, utrum ſcilicet in apta partium cōpoſi-
" tione & ordine, an potius in aliqua cauſa externa
" locanda ſit, quò referant ſeſe, curſúſque ſuos di-
" rigant uniuerſa. mundum exercitus ſimilitudinē
" habere oſtendit, in quo boni genus utrūque cer-
" namus, ordinē dico, in cuiuscōſeruatione magna
" pars ſalutis uictoriæque poſita ſit: & imperatorē,
" cuius procuratione omnia in caſtris & acie recte
" diſponantur, atque omnis ratio bellica & ordine
" adminiſtretur, & de hoſtibus uictoria obtinea-
" tur. Hoc autem bonum illo priore multis parti-
" bus maius & præſtantius, & quanto efficiens cau
" ſa effectis, & finis iis quæ referūtur ad ipſum an-
" teſtat, tantum ducem illum omnis ordinis au-
" ctorem ordini anteire, hūc autem in uniuerſo la-
" te rerum ducem ſummum bonum eſſe, cuius in-
" finita prouidentia & præpotenti numine, & con
" ſtituta ſunt omnia, & ad ſecula innumerabilia re
" gantur atque conſeruentur. Quid ex eo loco Po-
liticorum, ubi ad magiſtratus aliam curandi ſpe-
" ciē quę ad deos pertinet, adiungit? ut quod obeāt
" munus ſacerdotes & adminiſtri rerū ſacrarum,
" ut quæ ſtant fana ac templa ſarta tectaque ma-
" neant: quæ ruinam minantur & uitium faciunt,
" erigantur: atq; alia quæ rei diuinæ faciundæ ſunt
" conſtituta, quæ munera imprimis neceſſaria eſſe
" ait. an non ex eo inquam loco ſatis dei prouiden-
tiam

tiam conſtituit?Nam ſi deus non prouidet rebus humanis,quorſum illi templa cōdantur, aræ erigantur, ſacerdotes deſignentur, thus & libamina offerantur, ſacrificia, uota & ſupplicationes fiant?Ex hís ne tot támque uariis locis,ut alia plurima omittam,calumniæ tuæ impudentiam non agnoſcis?& Ariſtotelem dei prouidentiã conſtituiſſe,deóſque rerum humanarum curam agere, ſcripſiſſe & ſenſiſſe,nondum etiam uides? Ex eodem plane ignorantiæ aut certe calumniæ fonte eſt à te additum, Ariſtotelem animos credidiſſe mortales,cum in plurimis locis eius pro animorum immortalitate ſententia colligi, & doctorũ fere omnium præter admodum paucos qui diligenter in Ariſtotele uerſati ſunt , teſtimonio probari poſſit.Primum ex ea diuiſione facultatũ animæ quam ſecũdo de Ortu animalium conſtituit,cum grauibus rationibus mẽtem ſolam extrinſecus accedere & eſſe diuinam probat, an nõ ſatis immortalẽ ſignificare uidetur? Primo item de Partibus animalium mentis contemplationẽ philoſopho naturali adimit, unde mentem non eſſe materialem uel corpoream probat, ex quo affirmat eandem diuinam eſſe & immortalem. Secundo de Anima, ubi diſputat an poteſtates animæ ſubiecto & loco diſtinguerentur,ut Plato uoluit,an ratione ſola,poſtquam conceſſiſſet nutriendi & ſentiẽdi facultates ſubiecto & loco nõ diſtingui,de mente id nondum conſtare adiecit:

uerum diuerſum quoddam animæ genus eſſe, quod ab eo quod interiret ut perpetuum ſepararetur. Tertio de Anima, cum mentem nulli formæ quam intelligit admixtam eſſe docuiſſet: eá corpori admixtam non eſſe adiecit, quòd calida & frigida, ſi ita eſſet, euaderet, inſtrumentóque quemadmodū ſenſus aliquo prædita foret. Rurſus tertio de Anima, de mēte loquens, eam ſeparabilē eſſe, non mixtam: cumq; ſit actus eſſentia, nihil pati affirmat. Rurſus eodē libro, cum quærit quare non recordemur poſt mortē, id euenire reſpondet, quòd intellectus quidem nō patiatur, ſed is quem παθητικὸν appellat, quē omnes interpretantur φαντασίαν, extinguatur, ſine qua intellectus nihil intelligit. Duodecimo Metaphyſicorū, ubi quærit an aliqua forma poſt concretum diſſolutum maneat, in nonnullis nihil prohiberi, ut in animo non omni quidem, ſed mente addidit. Quibus è locis omnibus, ut etiam ex eo Ethicorum loco ubi an res aduerſæ & ſecundę uiuorum ad mortuos pertineant quærit, docti ferè omnes & in rebus philoſophicis exercitati collegerunt Ariſtotelem, animum, quem νοῦν, nos mentem appellamus, diuinum & immortalem eſſe uoluiſſe. His inquā ex locis multíſq; aliis animū nihil pati, ſed id in quo ſit, & alias affectiones nō eſſe animi, ſed totius cui animus inſit, à quo ſeparabilis aut etiam ſeparatus ſit, collegerunt fere omnes Ariſtotelem animum quem rationis participem intellectum

intellectum facientem & ſpecialem (ut Themiſtius appellauit) diuinum atque immortalem ſtatuiſſe. In qua ſententia ut potius hac de re cum illis quàm mecum Ramo certamen inſtituatur, Theophraſtum, Themiſtium, Simplicium, Philoponum, Porphyrium, Auerroem, Thomam, Sueſſanum, Mirandulam utrũque, Beſſarionem & recentiores fere omnes philoſophantes fuiſſe dico. Quòd ſi Ciceronis ad hanc rem auctoritatem quàm horum omnium pluris facias: idem quoque de Ariſtotele ſenſiſſe, & de eius uerbis expreſſiſſe, quæ ex Ariſtotele in ſuum, ut ait, de Conſolatione librum tranſcripſit, uidebis: Sin autem eſt (inquit) quinta quædam natura ab Ariſtotele inducta, primum hæc & deorum eſt, & animorum: animorum nulla in terris origo inueniri poteſt: nihil eſt in animis mixtum & concretum, aut quod ex terra natum atque factum uideatur: nihilne aut humidum, aut flabile, aut igneum. his enim in naturis nihil ineſt quod uim memoriæ, mentis, cognitionis habeat, quod & præterita teneat, & futura prouideat, & complecti poſſit præſentia, quæ ſola diuina ſunt, nec inuenitur unquam unde ad hominem uenire poſſint, niſi à deo. Idem alibi Ariſtoteles longe omnibus, Platonem ſemper excipio, præſtãs ingenio & diligentia, cum quatuor nota illa principia eſſet complexus, è quibus omnia orirentur, quintam quandam naturam cenſet eſſe è qua ſit

„ mens. Cogitare enim, & prouidere, & diſcere, & „ docere, & inuenire aliquid, & tã multa alia, meminiſſe, amare, odiſſe, cupere, timere, angi, lętari, „ hæc & ſimilia eorum quatuor generum nulli ineſſe putat. Quintũ genus adhibet uacans nomine, & ſic ipſum animum ἐντελεχίαν appellat nouo nomine, quaſi quãdam continuatam motionem & perennẽ. Quæ cũ Cicero in his libris quæ ἐξωτερικὰ dicta ſunt, quos hodie non habemus, ex Ariſtotele expreſſerit, ſatis apparet Ariſtotelem ubique hãc de animorum immortalitate ſententiam cõſtanter retinuiſſe, & Ramum, qui hæc in Ariſtotele contra tot illuſtrium hominum auctoritatem, receptámque uulgo perſuaſionẽ pro ſententiis impiis uenditet, ut ab eo incautos adoleſcentes abducat, non interpretandum, ſed criminandum calumniãdúmque Ariſtotelem ſuſcepiſſe. Quam Ariſtotelis ſententiam cum fuiſſe poſt tot doctos homines dicam, ne tibi nouam calumniandi anſam præbeam Rame, Ariſtotelem dico ſuo quodã modo & philoſophico, non quo ſacræ noſtræ literæ & noſtri theologi uolunt, animum immortalem feciſſe, non uiſionem non meminiſſe, non amare, non delectari, reliquáſq; functiones, ſed mentem in quo actus ſit animo poſt mortem reliquiſſe dico, & ſuo modo, quod ad præſentem diſputationem ſatis ſit, immortalem ſtatuiſſe affirmo: ut uehementer me tui pudeat, qui ut odium tuũ quod in Ariſtotelem inueteratum

ueterâtum habebas exſaturares, cum in hac uita caduca felicitatem idcirco ſtatuiſſe dixeris, quòd crederet animos eſſe mortales. Hunc ſcriptores ſacri quibus inuiſum & deteſtabilem fuiſſe uis Rame, ſemper pro philoſopho præſtantiſſimo habuerũt, ſemper pro naturæ ſagaciſſimo inquiſitore, & rerum in ea mirandarum inuentore coluerunt: ſed cũ ſcientia rerum tumentes philoſophiæ & demõſtrationibus nimis addictos ad euangelij cognitionem, in quo nullæ tales demonſtrationes eſſent, non facile adduci animaduerterent, & euangelij myſteria ſpiritu ſancto inſpirãte mundi iudicio paruulis patefieri cognoſcerẽt, dilucente primum euangelio non philoſophiam modo, ſed & omnes gentilium literas ad tempus de manibus excuſſas eſſe optauerunt. Quod ut tunc euangelij regno nondum conſtituto uehementer expetendum erat, cum ſoli artibus liberalibus inſtituti harum ſcientia inſolentes & inflati apoſtolis reſiſterent: ita hodie cum per naturæ miracula philoſophiæ beneficio cognita, deũ perfectius cognoſcamus, ad eam amplectendã, ut pręclare nos diuus Paulus admonet, magis accendi atque inflammari debemus. Vt enim Hebræi Ægyptiorum ſpoliis deo ſacrificarunt, iisq; eius templa atque altaria decorarunt, & è gentilium opibus doniſque Solomon ſacrum dei templum uarie ornauit & diſtinxit: ita hodie Ariſtotelis philoſophia dei naturę conditoris & paren-

tis cultui ſubiecta, à Chriſtianis ad euangelij illuſtrationem piè ediſcitur & adhibetur. Quã cum nimium intẽperanter & ignoranter tuæ animaduerſiones & recẽs iſte liber impietatis cõdemnẽt, & à pueris ediſci uetent, merito te qui his deliramentis adoleſcentes infatuas, à theologis dãnari, & à reliquis ordinibus improbari iudicamus. Sed ab his quæ ignorato philoſophiæ & theologiæ diſcrimine falſo impia in Ariſtotele eſſe putaſti, ad ea quę in eodẽ inutilia, captioſa, & ſuperuacanea eſſe contendiſti, trãſeamus, & in his non te minus quàm in aliis cæcutire oſtendamus. Cũ rerum natura ſit multiplex & uaria, nec minus diſpar & multiformis eaſdem res enuntiandi ratio, qua tamen ignorata de nullo rectè diſputari poſſit, mirari uehemẽter ſubit, cur quæ de modo circũſcriptis enũtiationibus Ariſtoteles tradidit, deq; mixtis contingentium & abſolutorum pronuntiatorũ concluſionibus, reductionibus ſyllogiſmorum in figuras, aliiſq; eiuſdem generis; tu tanquam odioſa, inutilia & uana irrideas. Nam cum rerum uniuerſitas ita à deo creata & diſtincta ſit, ut aliæ neceſſitate fiant, aliæ ſine neceſſitate contingant, aliæ libero hominum iudicio eueniant, fortuito aliæ accidãt: alia abſolute, alia certo quodã modo de aliis dicantur, nemo niſi male ſanus hanc uarietatem enuntiationũ unquam improbabit. Quarũ cum non leue diſcrimen ſit, nec infrequens uſus nõ in ſermone familiari modo,

do, ſed in arduis & perdifficilibus quæſtionibus quæ à philoſophis & theologis tractantur, ſolem è mundo tollere uelle uidetur, qui harum uſum meditatur hominibus adimere. Atque ut omittam quotidiana, quis niſi harum ui & natura diligenter cognita, ſublimes abſtruſáſq; de deo, dei prouidentia, fato, fortuna, naturáque quampluri mas quæſtiones explicabiles eſſe, niſi ſtultus putabit? Nec uero ſolum ad ueritatem rerũ dubiarũ & occultarum, ſed etiam ad ſermonis copiam & loquẽdi uarietatem plurimum tractatio harum enuntiationum conducit. Neq; enim leue diſcrimen inter hęc propoſita eſſe putamus, Mũdus eſt unus: & mundus neceſſario eſt unus. qua ratione adductus Ariſtoteles cum docuiſſet mundum eſſe unum non plures, demonſtratione planum facere uoluit, mundum neceſſario unum eſſe opor tere. Nec parum ad ueritatem eliciẽdam in propoſitis quæ inter theologos & philoſophos controuerſa ſunt, hæc modificatio adiuuerit: ut cũ, quod illi uolunt, deum nõ neceſſario mouere cælum, aut quod philoſophi inquiunt, deum neceſſario mouere cælũ dicimus. Nec minimũ refert inter modificatas quas Ariſtoteles tractauit, & cæteras quæ modificatæ quidem uidentur, tamẽ modificatæ non ſunt, cuiuſmodi hæc eſſe dicitur: Ariſtoteles recte dialecticã ſcripſit. Nam hæc & cæteræ ſimiles eiuſmodi ſunt, ut ſiue modo præponas negationem, ſiue poſtponas nihil interſit,

exempli cauſa, nõ recte ſcripſit dialecticã Ariſtoteles, recte non ſcripſit dialecticam Ariſtoteles, cum tamen plurimum referat in his quæ Ariſtoteles modo circũſcribit, ut ſi dicas, neceſſe eſt deũ non diligere malos, & non neceſſe eſt deum diligere malos. Cúmque modi iſti poſſibile, impoſſibile, contingens, neceſſarium (permittatur nobis uerbis uti à philoſophantibus receptis) negati aut affirmati, negationémq; ante ſe aut poſt ſe habentes, aliam & aliam uim habeant, atque interdum duo aut tres, aut etiam omnes pro negationis adiunctæ locatione diuerſa idem ualeant, fit ſæpenumero ut non ſolum ad rei ueritatem demonſtrandam & maiorem fidem faciendã, ſed etiam ad orationis copiã ornatúmq; & gratiam, uno pro altero utamur, ut cum dicitur, fieri non poſſe ut deus res hominum non curet, perinde ſit ac ſi dicamus, impoſſibile eſſe deum res humanas nõ curare, & non cõtingens eſſe deum res humanas non curare, & neceſſarium eſſe, deum res humanas curare. Cúmq; quod dicitur poſſibile ſumatur tam pro eo quod poteſt eſſe, etiamſi neceſſario ſit, quàm pro eo quod ita poteſt eſſe, ut etiam poſſit non eſſe: explicandæ fuerunt eiuſmodi ſignificationes & conſecutiones, ne cum legimus apud philoſophos, deũ poſſe eſſe, poſſe cælum mouere, poſſibile, non neceſſarium accipiamus: néue intelligamus deum ita poſſe eſſe, aut cælum poſſe mouere, ut etiam poſſit non eſſe, aut cælum non

mouere,

mouere, quomodo quæ generantur poſſe eſſe dicuntur. Nec ſolum ipſis ita modificatis enuntiationibus ſeorſum utimur, uerum etiam ex his ratiocinationes nectimus, interdum ex omnibus modificatis, interdum ex una modificata, & altera abſoluta modi experte: ut quibus in ſyllogiſmis ita miſcentur modo neceſſariæ, modo contingentes, modo etiam ſimplices cõcluſiones ſequantur, exempli cauſa, ſi ita ratiocinemur: Neceſſe eſt cælum moueri, omne quod mouetur neceſſario ab aliquo mouetur, igitur cælum neceſſario ab aliquo mouetur. Sint ambæ propoſitiones neceſſariæ. Si uero ita dicas, neceſſe eſt deum curare res humanas: quicunque curat res humanas bonus eſt: deus igitur bonus eſt. In hac ratiocinatione cõcluſio non eſt modificata modo neceſſario, quæ tamen erit modificata, ſi modus neceſſario in propoſitione ponatur. ut ſi dicas, quicunque curat res humanas, neceſſario bonus eſt: deus curat res humanas, ergo neceſſario bonus eſt. Atque idem eueniet ſi mixtas faciamus ex cõtingenti & neceſſario, aut ex contingenti & abſoluta. Multum ergo intereſt propoſitionem ne, aut aſſumptionem modo circumſcribamus, aut utrunque etiam abſolute pronũtiemus. Quamobrem Ariſtoteli qui totam ſyllogiſmi rationem explicare conſtituerat, de his etiam ſyllogiſmis diſſerendum fuit, ne in difficilium quæſtionum explicatione, & in grauibus auctoribus legendis,

in quibus his frequenter locus eſt, aut etiam in ſermone quotidiano, in quem interdum incidũt, allucinaremur: & ad orationis quoque copiam, gratiam & uarietatem eos quoque quãtum uſus eſſet, adhibere poſſemus. Cæterum cognoſcere uim ſyllogiſmi tam eſt neceſſe dialectico, quàm medico medicamentorum facultatem non ignorare. Eſt enim ſyllogiſmus ſummũ & pręcipuum dialectici inſtrumentũ: ad cuius uim cognoſcendam attinet ſcire, quemadmodũ ex falſis uerum colligatur: itẽ ex una uera & altera falſa, & quomodo & in quibus figuris, utq; ex ueris nũquam falſum inferatur. Addo etiam quid proprium ſit circuli in ſyllogiſmis, & in quibus ſit aut eſſe nõ poſſit: quem præterea uſum ad demõſtrationem habeat, nempe quòd per hunc ſciat demonſtrator melius à cauſa in effectũ, & ab effectu in cauſam recurrere. Reductionis cæterarũ figurarum ad primam eiúſque primos modos magnus eſt uſus, quòd firmitas ac neceſſitas conſecutionis non ita pateat in cæteris figuris ut in prima, nec in poſtremis primæ figuræ modis ut in primis. Quæ cauſa Ariſtotelem mouit, ut primo poſteriorum Analyticorum diceret primam figuram demonſtrationi faciendæ maxime accommodatam eſſe. Quæſtionem uero de mediis infinitis, extremis finitis, non per ſe proponit Ariſtoteles, ut tu calumniaris Rame, ſed demonſtrare uult in pronunciatis, quæ ad demonſtrationem facien-

dam aſſumũtur nõ eſſe progreſſionem in infinitum, ſed ad eas propoſitiones perueniri, in quibus quòd medio quo probentur careant, neceſſario inſiſtamus. Quod ut faciat, modos omnes quibus progreſſio in infinitum excogitari poteſt, diuiſione complectitur, cóſque refellit. Ita ait · Si
" ſit in infinitum progreſſio, aut eſſe ab eo quod de
" alio dicitur, aut ab eo de quo dicitur aliud, aut ab
" iis quæ inter utrunque finitum interiecta ſunt:
" id autem nullo modo eſſe poſſe. Quod autẽ tertium eſt, quam tu quæſtionem ab Ariſtotele per ſe propoſitam eſſe temere exiſtimas & rides, refellendum eſſe idcirco putauit, ut demonſtratio omni ſublata difficultate tota efficax eſſet, cum præſertim cogitare aliquis poſſet, quanquam extremis finitis media tamen infinita eſſe, qua ratione in continuo extremis finitis terminato, infinitas dimidiatas partes mathematici imaginãtur. Non igitur ſuperuacanea quæſtio, quandoquidẽ noſſe propoſitiones medio uacãtes, quódque in illis cum demonſtratio fit, inſiſtẽdum ſit: ita demonſtratori neceſſarium eſt, ut eo ignorato nihil demonſtrare poſſit. Poſtremo cur Ariſtotelem improbandum cenſuiſti, quòd in ſyllogiſmis faciendis elementorum exemplis utatur? Quare id ut omnia intẽperanter calũniari, quàm cur fecerit de ipſo & doctiſſimis eius interpretibus cognoſcere maluiſti? Elementis Ariſtoteles pro exemplis uſus eſt in ſyllogiſmis, tum breui-

tatis maioris cauſa, tum ut laborẽ & moleſtiam exempla cognoſcendi, ſi aliunde afferrentur, detraheret, cũ iis uteretur quę omnibus nota eſſent: tum uero maxime quoniã de ſyllogiſmo in genere ad nullam materiam ut neceſſariã aut probabilem contracto ageret, iis exẽplis uteretur, ex quibus ipſa ſyllogiſmi per ſe & in genere ſumpti natura perſpiceretur, cuius conſecutionis uis ex forma, non item ex materia intelligeretur. Ipſe etiam in iis libris in quibus de tota ſyllogiſmorũ ratione agit, non idcirco ſe elementis uſum eſſe ꝙ ratiocinationes de iis strueret, ſed ut diſcẽdi cupidi facilius diſcerent, quo modo & mathematici docẽdo utuntur linea pedali aut infinita, quãuis demonſtrationes de illis non fiant, cum nulla quæ exquiſite pedalis ſit, nulla item infinita inueniatur. Quàm non ſint impia quæ tu impietatis in Ariſtotele damnaſti, quàm nõ inutilia quæ tu nugacia eſſe uoluiſti, diſcuſſa caligine qua tibi oculi caligabant uides. quin igitur tandem ad te redis, & perpetua obliuione deletis opinionibus ineptis & inſulſis cum tota hac ſchola ambabus ulnis Ariſtotelem amplecteris, uneraris, amas? Quid ſi, quod ais, ex aliqua parte tibi largiar eſſe aliquid in Ariſtotele parum fructuoſum atque etiam impium? An propterea ut Ariſtoteles de manibus excutiatur, me tibi conceſſurum arbitraris? Theophilactum profeſſione Chriſtianum, Origenem, Tertulianumque doctrinæ euãgelicæ in

cæ in quibuſdã aduerſantes, aut certe dormitantes, multóſque alios ſcriptores ſacros propter alia quamplurima ſancte & religioſe dicta non modo toleramus, ſed etiam ſtudioſe & cupide cũ aliqua tamẽ exceptione lectitamus: & Ariſtotelem philoſophum qui in noſtræ religionis uerba nũquam iurauit, ſi quid inter infinita naturæ inuenta uitæ hominum excolendæ fructuoſiſſima & ſaluberrima noſtrę religioni minus conueniẽter & cõgrue locutus eſt, deteſtabimur, & adoleſcentes ne illũ manibus attrectare audeãt, in eius odiũ impellemus? Quot in iure ciuili rerũ genera operoſe à iuriſconſultis tractata uiſuntur, quibus nunc quia exoleuerunt, conuerſa rerũ humanarũ facie, nemo utatur? quot genera ſimpliciũ mixtorũq; & curãdi rationes in Galeno aliiſq; medicis hodie propter loci, tẽporum & fortaſſe naturę hominũ aliqua in parte mutationẽ, aliarũq; rerum magis ſalubriũ inuentionẽ ſanandis morbis non adhibẽtur? An idcirco tamen eorũ lectione nobis interdictũ putabimus? Platonis reſpublica à ſapiẽtibus hominibus tãtopere decantata, rerũ tamen in ſpeciẽ abſurdarũ magna copia referta, an quia nuſquã hodie locũ habet, aut abſurdum quiddã cõtinet, nunquam à nobis in manus ſumetur, & lectitabitur? Si ex eius inſtituto hodie homines non uiuãt, nihilne habebit, quod ad bene uiuendum nos inſtruere & adiuuare poſſit? In Ariſtotele quod inutile, infructuoſum & ſuperuacaneũ

eſſe uis, tibi fortaſſe & tui ſimilibus, qui haberi q̃ eſſe mauis: qui non pectus, ſed os ſolum inſtruis: qui garrire & futiliter loqui cupis, non diſcere, non ſapere laboras cur & quomodo diuina humanáq; gerantur: tibi inquam, ita affecto Ariſtoteles ſpinoſus, aculeatus, inutilis & ſuperuacaneus erit. iis uero qui ambitione, gloriæque & pecuniæ cupiditate uicta, omne ſuum ſtudium in doctrina & ſapientia collocant, nullo in loco faſtidium eiuſ obrepet. Erras Rame, & uehementer erras, ſi eũdem calceum omnium pedibus inducendum eſſe, & omnem inſtitutionem ad unã forenſem loquacitatem referendam putas. Multi non ut in foro cauſas actitent, dicendo perſuadeant, & quocunque uolunt hominum affectus in foro torqueant, philoſophãtur, ſed ut reliquos rerũ diuinarũ & humanarũ cognitionẽ doceant: alij etiam ut ad pietatem religionémq; homines cõuertant, alij uulnera morbóſq; perite perſanẽt: nec deſunt etiam qui propius ad deum accedentes, contemplationem ſibi finem deſtinantes in qua acquieſcunt, tãtum ſtudij, laboris & diligentiæ in philoſophia ponendum arbitrantur. Ariſtoteles quod præſtantibus artium ſcriptoribus ſemper uſuuenit, non modo in foro uerſaturis, ſed theologis, ſed medicis, ſed regibus fortibúſque & militaribus uiris, ſed mercatoribus, omnibus denique hominibus dialecticam, reliquáſq; philoſophiæ partes perfectiſſime, ne minima quidem

quidem particula prætermiſſa ſcripſit:nec ſolum ea quæ frequenter in uita occurrunt, uerumetiam quæ etſi raro, aut etiam non occurrunt,occurrere tamen poſſunt, literarum monumentis mandauit. Quod cum ita ſit,ex Ariſtotele quiſque quantum uult,aut ad ſuum inſtitutum facere iudicat, tantum promat non eum, quòd alijs diuerſam uitæ uiam ingreſſis eãdem facultatem præbeat,tanquam ſuperuacaneũ aut infructuoſum accuſet.Supereſſe uidetur ut quàm recte Ariſtotelem,non de uerbo ad uerbum,ſed ſummis tantum expreſſis ſententiis explicandum putet, uideamus.Ratione ut putat euidente, & maiorũ noſtrorum legibus ſe id recte facere contendit. Grauiſſimum prorſus utrunque, niſi more ſuo leges deprauaret,& pro uera neceſſariáque ratione (ut pro Iunone nubem apud poetas Ixion)futilẽ, & falſa ſpecie decipientem, ſequeretur. Statutũ ſacultatis artium de modo legendi in uico Stra-
„ minis anno M. CCCLV. editum profert,quo
„ duos legendi libros artium liberaliũ modos fuiſ-
„ ſe cognoſcimus. priorem philoſophiæ magiſtris
„ in cathedra raptim ſua uerba proferentibus, ut
„ mens auditoris ualeret capere, manus uero non
„ ſufficeret exarare: alterum tractim nominanti-
„ bus donec auditores cum penna poſſent ſcribere:
„ priorẽ quòd ad cõmunes animi cõceptus magis
„ accederet,ſecundum quem morem ſermones in
„ uniuerſitate & collationes (ita enim loquitur)

» fierent,damnato poſteriore retinendum eſſe. De quo quid decerpere poſſis quod ad tuum inſtitutum faciat, nõ uideo.non enim ex eo ullo modo philoſophos non totos legẽdos,ſed ſummis quibuſdam capitibus expendendos eſſe potes elicere. Vtroque modo Rame,totus auctor qui interpretandus ſuſcipitur,explicari, immo etiam uelut paraphraſi explanari poteſt.ſed cum dictante præceptore,uel per ſe,uel per aliquem diſcipulorum magna temporis iactura fieret,& minus dictandi ratio,quàm uiua uox,eaque cõtinuata afficeret, iubet lex raptim,id eſt perpetua & continua uoce docere. Verum cum(ut ipſe non diſſimulaſti)ea priſca ſint, & iandudum obſoleta, &, ut nos dicimus,legibus cõſecutis, & more quem hodie retinemus abrogata,ualeant:neque pro legibus quibus hodie uiuendum ſit,proferantur. Totouillæis ante annos centum latis quas deprauaſti, nihil minus effici,quàm quod tu uis,oſtendamus:eáſque ad uerbum nullo apice immutato, ut tuus iſte dolus malus appareat, adſcribamus·Mandamus, inquit, & diſtrictius in uirtute
» ſanctæ obedientię præcipimus omnibus & ſingu
» lis magiſtris,regentibus & docentibus,quatenus
» iuxta textum Ariſtotelis ſcholaribus ſuis exponẽ
» dum de puncto in punctum intendant:ſiue de ca
» pitulo in capitulum diligenter commenta & ex-
» poſitiones philoſophorum & doctorum ſtudeãt
» & exquirant. Et paulo poſt· Item præfatis regen-

tibus

" tibus inhibemus ne legant de uerbo ad uerbũ in
" quæſtionibus alienis,ſed intendant labori & ſtu-
" dio,taliter quod per ipſos ſciant,& ualeãt lectio-
" nem facere,& diſcipulis tradere ſufficientem. & ſtatuto ſequẽti de licẽtiis,poſtquam enumeraſſet libros quos ante licentias explicari præſcribit, nempe Ariſtotelis philoſophicos fere omnes,&
" mathematica,ita loquitur· Ad hoc autem ſtatu-
" tum quod eſt perneceſſarium,adiicimus ut præ-
" dicti libri audiantur non curſim & tranſcurren-
" do,ſed ſtudioſe & grauiter.In quibus Rame cum tu quod Totouillęus prohibet,ne quęſtiones alienas docentes ad uerbum dictarent,ad Ariſtotelis textum tranſtuliſti,& de puncto in punctum cõtra ſententiam legiſlatoris & uulgo receptã gallice loquendi cõſuetudinẽ interpretatus es, profecto te impoſtorem & calumniatorem inſignẽ oſtendiſti.Horũ enim uerborũ uim de puncto in punctũ,ſi exactius exquiſieris uernaculæ linguæ uſu,& uelut idiotiſmo hominẽ latine locutũ, nihil aliud ſignificaſſe, quàm de uerbo ad uerbum intelliges.Nã cũ uernacule dicimus aliquid ſcribendum,dicendum,faciendum eſſe de puncto in punctum,quid aliud quàm de uerbo ad uerbum, ita ut nullus apex aut ſyllaba prætermittatur ſignificamus?quam interpretationẽ ſatis quod ſequitur confirmat,cum Ariſtotelis libros nõ curſim ſed ſtudioſe & grauiter legi imperat.Quis enim grauem auctorem in ſumma capita & com-

pendia contractũ, ſtudioſe & grauiter interpre-
tatur? Legere enim Ariſtotelem curſim ſeu tranſ-
currendo, & ſtudioſe grauiterq; maxime inter ſe
diſiuncta ſunt & cõtraria. In quo quis audaciam
tuam non miretur, qui ad confirmandum errorẽ
tuum, maiorum leges deprauare & malitioſa in-
terpretatione peruertere auſus ſis? Cur quod in
alienis quæſtionibus, ne de uerbo ad uerbum le-
gãtur, fieri lex uetat, tu ad Ariſtotelis ſcripta trãſ-
tuliſti? Cur etiam cũ primum caput de Ariſtotele
& eius commentariis geminũ faciat, & hæc duo
diſiungat, tu quaſi unum & idem ut illud de pun
cto in punctum, ad tuam libidinem traheres, ex-
» tuliſti? Quid ait lex? Ariſtotelis textum de puncto
» in punctum explicandum: commentaria uero in
» eundẽ per ſingula capita à docentibus exquiren-
» da, & ad explicationem Ariſtotelis conferẽda. tu
uero quaſi utrunque ad Ariſtotelis libros refera-
tur, nulla cõmentariorum facta mentione, quaſi
unum & idem ſint, accepiſti. Quomodo Ramus
» leges citet, audiamus. Philoſophicos libros de
» puncto in punctum, de capitulo in capitulũ, ore
» & uoce doceto & pronunciato. Cur hoc poſtre-
mum de capitulo in capitulum, quod commen-
tariis lex attribuit, tu iis ſilẽtio præteritis, ad Ari-
ſtotelis textum retuliſti? Cur hic falſi crimẽ in te
admittere auſus es? Quanta eſſet in hac legum
deprauatione ſceleris magnitudo, cogitatione cõ
plecti non potuiſti? cum in re exigui momenti

crimen

cri men falſi contra priuatum iure ciuili & moribu s noſtris grauiter uindicetur, tu in re grauiſſima & contra rempublicã falſi crimen admiſſum leuiter laturos homines exiſtimaſti? Lege Cornelia pœna falſi, uel quaſi falſi deportatio eſt, & omnium bonorũ publicatio. Eadem lege Iuſtiniani ſanctione, ultra deportationem poſt probationem, capitale ſupplicium (ſi id exigat magnitudo commiſſi) irrogatur. Quòd ſi in tabulis perſcriptionibus aut chirographo in falſi crimen tanta animaduerſio ſtatuitur, ei qui non prætoris albũ, ſed quod nefas eſt, communem legem iusq; publicum corruperit, quod ſupplicium quãq; pœnã luendam eſſe exiſtimabis? Ita opinionis tuæ errore excęcatus es, ut ſobrij prudentisq; hominis ne ad temporis quidẽ punctum ſuſcepta cogitatione, quantum hoc eſſet corruptarum & deprauatarum legum crimen, in re longe grauiſſima cognoſcere non poſſes? Quæ enim res puerorũ, qui reip. ſeminaria ſunt, inſtitutione, à qua ſalus & felicitas publica pendet, maior aut grauior excogitari poteſt? Plato ut corpora cum à conſueto & familiari uictu ad alium nouum & inſolentem traducuntur, conturbata in morbos graues incidũt: ita ſi inſtitutio & diſciplina puerorũ multis temporibus ſtabilita mutetur, animos grauiſſimis ſeditionum factioſarúmque cupiditatum morbis laboraturos affirmat: itaq; nulla ex re ciuitati maiorem peſtem accidere poſſe, quàm ex huius rei

mutatione, qua nihil magis formidãdum ſit, exiſtimat. Tu uero, ut bene cõpoſitam, ſapiẽter conſtitutam, totq; ſeculorũ decurſu ab omnibus cõprobatam philoſophiæ docendæ, reliquarúmque artium tradendarum huius ſcholæ rationem ad tuam uecordẽ libidinem uelut plumbeam lesbię ædificationis regulam trãſmoueas, & ſubuertas: leges maiorũ apertas & claras, uerbis additis, detractis & immutatis deprauare & corrũpere non formidaſti. Atque ut relictis legibus ad rationes tuas ueniamus, quibus Ariſtotelem ſummis ſententijs expendendum, non ad uerbum legendum affirmas: itáne tibi prolixus & quaſi adipati aſiatici circunfluens & redundans uiſus eſt, ut circũcidendũ & in cõpendia neſcio quæ cõtrahẽdum eſſe iudicaris? qui cum rerum frequẽtia tam creber ſit, ut quod de Thucydide Cicero, uerborum prope numerum ſententiarũ numero conſequatur, quis unquam cõcidendum & ſummatim explicandũ cenſuit? Quis propter innumerabilẽ rerum copiam quas nimia breuitate obſcuraſſe creditur, Ariſtotelem nõ potius paraphraſi & interpretatione diffuſiore dilatandũ, quàm compendiis in breue contrahendũ putauit? Quæ tandem iſta compendia niſi præcipitia ſunt? tam tibi rerũ inanis Ariſtoteles uidetur, ut libros eius priorum Analyticorũ tribus lectionibus, Poſteriorũ octo, Topicorum unica tabella, quod tui doctores iurati publice ſe feciſſe dixerunt, interpretãdos ducas?

cas?Itáne Ariſtotelis philoſophiam moralẽ & libros eius de uita & ſenſu,de uigilia ſomno & memoria faciles iudicas,ut diſcipulis ſine præceptoris opera, ſuo marte legendos committas? Quas tu captiones inutiles & redundãtiam ſuperuacaneam in Ariſtotele appellas Rame,nos rerum nõ modo fructuoſarum uitæ excolendæ,ſed etiã neceſſariarum pretioſum theſaurum,&ueluti beatiſſimum copię cornu dicimus,admiramur,adoramus. Quæ cum natura ſua abſtruſæ, numero propemodũ infinitæ,tãta breuitate ab Ariſtotele tractatæ non eſſe multis difficultatibus obſtructę non poſſint,diſcẽdi cupidos aliis antè artibus inſtructos non oſcitanter aut ſegniter, ſed toto conatu ad eas aſpirare uolumus. Hæc compẽdiorũ commẽta ueluti Syrtes aut Charybdim uitanda eſſe contẽdimus:nec minus poetas oratoréſq; qui ſi cũ philoſophis cõiungãtur,ſua amœnitate & illecebra philoſophiæ difficultatũ ſcopulos ſuperare cupientes,remoraturi atq; etiã auocaturi ſunt, ad tẽpus ſeponẽdos eſſe affirmamus. Quod enim Vlyſſis ſociis accidit,ut guſtata loto ſalutis & patriæ immemores apud Lotophagos permanere uellent,& Cyrces ueneficiis in ſues cõuerſi & dementati ab ea diuelli nõ poſſent,idẽ plane his cõtinget,qui exitialẽ quã introducis cõiunctionem ſequẽtur.Nam huius humanitatis eſca alliceſacti ad hos poetarũ oratorúmq; ueluti ſyrenios ſcopulos adhęreſcẽt, & philoſophię ſalutare pharmacũ

tanquam abſynthiũ primo guſtu inſuaue aſpernabuntur. An nondum etiam uides Rame, quantum detrimenti prodigioſa hæc tua ueteris diſciplinę cõturbatio reip. adferat? Cantori apud Spartanos dixere multã, ꝙ citharam digitis nõ ebore, quod uſu publico receptũ erat, pulſaſſet: & tu tantam rerum omniũ ſubuerſionẽ diis hominibúſq; inuitis ſuſceptam, te impune laturum arbitraris? Hoccine eſt ad Troiã pro patriæ libertate & gloria pugnare, arcũ Vlyſſis tendere, & procos arcus tendendi imperitos cõfigere? Caue ſis, caue quęſo inquam Rame, ne hæc nimia arcus intenſio in neruum, quod ferũt, deniq; erumpat. Verum hęc ut grauiſſima animaduerſione digna, nec leuiter ferenda ſunt: ita quæ ſequũtur ſummo riſu mihi proſequenda uidentur. Primum ſuis commentationibus ponit nomina philoſophorum more, ſua uocabulis notantium. In quo operæpretium fuerit audire quędam uelut è Platonis Cratylo nominum impoſitorẽ. In ſchola latina græculus uideri uult: γένεσιν dicit: quod ubi legi, aliquid, ita me deus amet, de horoſcopo expectaui. quanti eſt ſapere! nunquam alius ita dixiſſet, aut pro ἀναλύσει, φθορᾷ poſuiſſet: quod & tu fortaſſe, tãetſi obſcure & occulte, ſignificare Rame uoluiſti, ut inſtitutionem tuam nouæ cuiuſdam doctrinæ exordium eſſe, & ueteris interitum exiſtimaremus. nihil uſitata & peruulgata uocabula moraris: tibi ſyntheſis ſordet, quod nos idiotæ dicere

ſolemus.

ſolemus. Nę χλιαις iſta lepida Rame, auſpicato ſectæ tuæ nata eſt:ſcitum enim hominem eſſe te & doctum in tuo oſtendit,ſed in altero uerſurā pene facere locuples paterfamilias nō debuiſti:tuū, non Ariſtotelicū proferri oportuit. Itáne ἀπάλυσαι dicis? & alienus hîc eſſe quàm tuus mauis?nō erat id ingenij tui: aliud fingere,aliud conflare debuiſti.Ita cum re fides tua perierat, ut eum mutuum rogares eiq; ſupplex eſſes,quem ſemper ſuperbiſſime contempſiſti? Atque etiā ut oſtenderes quātus domandis expugnandíſq; monſtris Hercules eſſes,aniles fabulas commemoraſti, ſuppoſitiones,ampliationes,reſtrictiones,aſcēſiones, deſcēſiones,exponibilia,inſolubilia,obligationes:Buridanū, Dulardum, Tartaretum, reliquóſq; ſpinoſarum & aculeatarum quæſtionū artifices enumeraſti:deque his à te ueluti fuſis & profligatis uerbis militaribus glorioſus thraſo triūphaſti: quod quis non uidet ex eodē uanitatis tuæ & inſolētiæ fonte natum? Nam quis totis octodecim annis horum aliquem docendæ philoſophiæ adhibuit?immo quis uel leuem eorum mentionem fecit?Pręclara uidelicet laureola tibi in muſtaceo quæſita. captioſarum concluſionum & acuminatarum quæ iampridem exoleuerūt,ut tua ſomnia redderes cōmendatiora, tu ſcilicet mētionem intuliſti? Quid ſi hęc tua fucata quidem, ſed uanitatis & illuſionis plena multo maius detrimentum bonis literis,quàm argutæ captioſæque

illorum temporũ quæſtiones adferant? Vt enim hæ doctrinæ ſolidæ inanes eſſent, ad rerum tamẽ abſtruſarum inquiſitionem in grauibus auctoribus ingenia hominum acuebant: tua uero dum loquacitatis, & futilitatis neſcio cuius præſtigias in primoribus adoleſcentũ labris locãt, rerũ nulla ſcientia pectus inſtruunt, & ad grauium ſcriptorum cõtemptum deriſionemq; ſimplices impellunt, qua peſte quæ pernicioſior fingi & excogitari poteſt? Omittã hìc alia quamplurima ineptiarũ & abſurditatis plena, quibus præclara tua inſtitutio deſcribitur, ſi unum duntaxat attigero, uidelicet quo tu multo plus in linguarum, quàm ſcientiarum cognitione temporis & ſtudij collocandum eſſe arbitraris. Nam cum artes & diſciplinę, iudicio Hippocratis doctorumq; omnium & prudentum, cum breui uita comparatę longæ dicantur, atque ut exacte cognoſcãtur totam hominum uitam requirant: linguæ contrà, quanuis ad perfectam ſui cognitionem & tempus & diligentiam expetant, tempore tamen multo breuiore parentur, neq; tã de uerbis & ſermone ſollicitos eſſe, quàm de rebus ipſis oporteat, tu unus inuentus es è ſophiſtis, qui plus temporis in linguis, quàm artibus & ſcientiis collocandum putares. Sed hoc in te mirum uideri non debet, qui apparere & uideri, non eſſe: qui non à doctis probari, ſed imperitæ multitudini placere deſideras: cui loquaces, & futiles tui plane ſimillimos non

doctos

doctos & ſapientes tuos reddere abunde ſatis uideatur. Qua temeritate & inſcitia probris omnibus nimis procaciter Ariſtotelem primum inceſſiſti, & ſcholis eieciſti: deinde dolo malo neſcio quo & ſimulatione retentum, impietatis & de aliis quamplurimis iniuria accuſaſti, quàq; nõ per compendia & ſummas ſententias uelut per tranſennam inſpectus, tantus & tam grauis auctor, ſed accurate, ſtudioſe, diligenter & ad uerbũ explicandus ſit, quámque ſtulta & abſurda ſit ea philoſophiæ & eloquentiæ coniunctio, quá confuſis philoſophiæ poetarum reliquorumq; eiuſdem notæ ſcriptorum profeſſionibus adumbraſti, aperte & manifeſte me docuiſſe exiſtimo. Leges etiam huius ſcholæ nouas & ueteres, longam tot annis docẽdæ philoſophiæ confirmatam conſuetudinem, ſenatuſconſulta, iura ciuilia, pontificum regúmque decreta, denique rationem ueritatémque ipſam contra te ſtare, ita me plane demonſtraſſe puto, ut ne tenuiſſimus quidem ſcrupulus in animo cuiuſquam reſideat. Quæ ſi nos omnia, præter hoc unum quod tuis iſtis ficulnis arietibus propugnaculũ obiiceremus, deficerent: ita maiores uoluiſſe, in more tranſiiſſe, iis moribus & nunquam mutatis legibus iam annos plures centũ uiuere: quod maioribus placuit, & longa cõſuetudine nobis conſtitutum eſt, pro omni ratione & iure ciuili eſſe: quid alij ante annos tercẽtum fecerint, rerum informi, rudi & impolito

ſtatu, quid aliter homines alibi faciant, nos nõ curare: à more quẽ accepimus & maiorũ inſtitutis in quæ iurauimus, niſi religione ſoluamur, recedere nec uelle nec poſſe: id firmiſſimum ubiq; ius eſſe: quod à maioribus traditum, uſu & conſuetudine acceptum probatúmque ſit, id pro legibus omnibus atque iure ualere: quid eſſet in quo tibi ſpem ullam reliquam eſſe putares? Quid contrà comminiſci, quid dicere aut facere poſſes? quî ex hoc puteo in quẽ nõ iudicio deſcendiſti, ſed gloriæ cupiditate uolitans præcipitaſti, emergeres? Quãdo igitur huius ſcholæ cauſam tot præſidiis firmatam, tuam omnibus auxiliis nudatã & ſpoliatam uides, cur relicto errore ad mẽtis ſanitatẽ non redeas? cur in praua ſententia animo obfirmato permaneas? cur prauam ſententiã mutare, quàm pertinaciter eam retinere contumelioſius putes? cur cum infirmitate iudicij leges & præcepta docendarũ artiũ aliis tradere nõ poſſis, ſapiẽtibus hominibus qui hac in parte nobis conſuluerunt, parere in animum nõ inducas? Manticæ quid in tergo ſit, & quàm tibi curta philoſophiæ ſupellex, quæſo Rame inſpice: uires ingenij tui ad laudandos bonarum artium parentes artéſq; ipſas conuerte: Ariſtotelem unum humanam omnem facultatem ſupergreſſum admirari atque amare diſce, & calumniari deſine: prodigioſam hanc poëtarum cum philoſophis cõiunctionem quæ tã miſere te fatigauit, & tibi rationes omnes

conturbauit,

conturbauit, ex animo eiice. Deſine Rame demonſtrationum mathematicarũ uſum ex poëtis & oratoribus exquirere, cũ, ipſo Ariſtotele teſte, nihil tã abſurdũ ſit, q̃ mathematicũ pſuadere, & oratorẽ demõſtrare conari. Deſine nobis ſemper eandẽ cupreſſum ſimulare. Deſine (inquã) odioſum illum totius philoſophiæ uſum in poëtis, a quã (quod aiunt) in pumice quęrere. Intimę enim philoſophię uſus in peruestiganda & pertractãda uia & ratione rerũ diuinarũ humanarũq; natura uel oratione cõciſa, uel perpetua ad morem Ariſtotelicum ſeſe exhibet: in poëtis uero & oratoribus uix rudibus primis illis lineamentis adũbratur. Quiſquilias & tanquam pręſegmina philoſophiæ extimámque cutem in poetis oratoribúſq; non ſolidas partes, non ſanguinem, non neruos, non medullam, nec oſſa deprehendas, argumentum aliquod à pari, maiori, minori, ſimili, diſſimili, adiunctis, ſignis & pronunciatis, quæ uolentes ducant, in his oſtendas: quę autem uere ἄτεχνα, utq; Ariſtoteles uoluit βίαια, & in rebus ipſis inſita dici queãt, quæ urgeãt, quę cogãt, quę aſſenſionem uel à nolente extorqueant, nequaquam inuenias: ita argumentationes uerìſimilitudine aliqua & probabilibus cõiecturis nixas, indigeſtas & incompoſitas, nõ ad amuſſim & regulã logicã exactas, non modo & figura expreſſas, non ex eui dentibus, certis perceptis & neceſſariis concludẽtes, ſed leues, infirmas, mancas & elumbes in his

oſtendere queas. In his,inquã, philoſophiæ quædam auulſa ueluti à corpore fruſta quæ in toto cũ aliis coaleſcere & cohærere non poſſint,ſine ulla artificioſę cõfectionis fabrica ſparſa animaduertas:totius uero philoſophiæ compagẽ & ſtructuram artificio,uia & ratione conſtitutam,non magis quàm alatas in aere balenas,queas demõſtrare:dialecticæ & totius philoſophiæ uſum nuſquã melius quàm in ipſis Ariſtotelis philoſophicis monumentis æternũ uicturis peruideas. Deſine igitur,deſine inquam Rame,hunc tibi per inſomnia cognitum philoſophię abuſum moleſte nobis inculcare, & uerum eius legitimúmq; uſum non à me, ſed ab iis qui uere philoſophati ſunt, potius quàm à poetis & oratoribus cognoſce. Sed ad id quod poſtremũ in noſtra diuiſione poſuimus,ueniamus. Quoniã philoſophiæ nomen tam crebro uſurpas,ut eius poſſeſſionẽ tuã eſſe putes,reliquos tãquam interdicto finibus eius ſummoueas:equidẽ nõ poſſum nõ uehemẽter mirari quid in mentem tibi uenerit illud philoſophandi genus potiſsimum deligere,quod omnẽ philoſophiam funditus euerteret. Te enim cum illo tuo gemino fraterculo paríſque uecordiæ conſorte, academicum audes prædicare:peripateticum uidelicet nomen de Ariſtotele peſſime oderas, in quẽ omne ueſaniæ tuæ uirus improbiſſimis ſcriptis exprompſiſti: mallem tamen quanuis,tolerabilem modo,ſectam reduceres,quàm perturbatricem

batricem iſtam academiam ſuſcitares. nam aliæ fere omnes, etiam Epicuri diſciplina ab omnibus ſanis merito ſemper improbata, religionē tamē nonnullā retinere conantur. Academia cum alia omnia, tum omnem ex animis hominum ſanctitatis & pietatis perſuaſionem euellere prorſus tētat, & Titanum more nefarium cum diis immortalibus bellum gerit. Quid enim cuiquam uel de deo, uel ulla de re conſtitutum & certum eſſe poteſt, qui aliorum ſententias refellere ſemper ſoleat, qui ſenſuum fidem omnē labefactet, qui rationem conuellat, qui nullis quantumuis perſpicuis credat, qui deſperatus omnia relinquat incerta, qui omnem perceptionem & aſſenſionem, & hinc omnis uirtutis firmitatem & cōſtantiam tollat? Scilicet qui exploratis manúque pene comprehēſis fidem non habet, naturam diuinam, quæ uix tenui animi conformatione percipitur, eſſe credet? Ergo noſter Arceſila eā tu diſciplinam ſecutus es, quæ nō ueritatis inueſtigādæ, ſed ubique ſubuertēdæ rationem profitetur? Itaq; cum in ipſa iam lumina & decora literarū omnium Ariſtotelem, Ciceronem, Quintilianū petulātiſſime inuaſeris, quis præſtabit, quin ſi nō tuus, at tuorum ſectatorum cæcus & perditus furor in ſacras aliquando literas erumpat? Atq;, ut opinor, ubi Euclidem canina tua eloquentia allatraueris, in quem nunc commentationes tuæ, ut audio, domi debacchantur, ultimam impieta-

tis palmam lemniſcatam ſi non tu fortaſſe, at tui uagi & incerti ſectatores ut cylindrus in præcipiti nuſquam cõſiſtentes edent. Nõ enim antè hic furor inſiſtet, non conquieſcet audacia, cum iam iis gradibus uiam ſibi muniuerit, & cum ætate quotidie morbus ingraueſcat. Quis enim his turbulentis tẽporibus pręter me, qui hîc periculum tibi creatum nolo, dixerit, te iam à principio academiam alio amplexum eſſe, præſertim tam odioſam nomini Chriſtiano, quàm ut diſciplinis omnibus ſubuerſis, ſacra demũ euangelia tentarentur? Nam ſi te nouitatis ſtudioſum peripateticæ familiæ pœnitebat, & aliunde magnam mercedem ducebas, quieta mouere, placidumq́; literarum ſtatum ſolicitare, nobilem Stoicorum porticum ſaltem ſequereris, ſectámque renouares olim florentiſſimam. Sed tu palmarium & memorabile facinus non putaſti, niſi ſectam amplexarere, quæ una & diis immortalibus bellũ & philoſophiæ omnibusq́; diſciplinis indiceret niſi quæ diuina & humana omnia permiſceret, & cõfunderet. Neſciebas à Lactantio ſententiam academicorum eſſe penitus cõuulſam atq; fractam? à diuo Auguſtino firmiſſimis rationibus confutatam? ab omnibus denique Chriſtianis eiectam & exploſam? Tu ſolus extitiſti, qui tanto poſt, maiores noſtros ſanctiſſimos & doctiſſimos mortales inſcitiæ iuxta & ſtultitiæ cõdemnares. Nam cum illis infeſtius quàm cum

Ariſtotele

Ariſtotele (licet rumparis) philoſophorum principe, tua pugnat oratio & ſententia: quanquam quis oppugnare Ariſtotelem poteſt, quin eodem quoque tempore maioribus noſtris religioſiſſimis pontificibus, auguſtiſſimis imperatoribus, ampliſſimis regibus, qui philoſophũ iſtum propoſitis ſummis præmiis, in ſcholis explicari uoluerunt, tetrum & importunum bellum denuntiet? Itaque non tam hic Ariſtotelis exiſtimatio & nomen agitur, quàm principum ampliſſimorum dignitas à Petro Ramo attẽtatur, qui temeritate prouectus nullis ſe iam legibus teneri putat, omnia principum edicta, ſanctiones, leges, rogationes perfringere impune ſe poſſe cẽſet. Atq; in quo nunc quidem eſt, faciet, cum iam de Franciſco, quo quantoque rege dij immortales! hodie uictor ſuperbiſſimus triumphet. Nam ab eo lõge clementiſſimo poſt homines natos principe, ille philoſophiæ peripateticæ iuratus hoſtis ſilentio dãnatus perpetuo, & taciturnitate multatus, uix bene conclamato funere regis optimi rurſum erumpere & inſolentius quàm antea inſultare cœpit. Itaque in omniũ mœrore & luctu ſolus alacer lætúſq; uolitabat, pus & uenenum quod annis aliquot mœſtus & tacitus collegerat totum repente euomebat, nec quid faceret aut diceret quicquam penſi habebat. deniq; ut in pythagorico illo ſilentio quantum profeciſſet oſtenderet: ſeuerus cenſor animaduerſionũ uiginti libros in

Ariſtotelem repente euulgat, ipſe non cenſorum notationibus, ſed ſi cum eo ſeuere ageretur, grauiſſimis ſupplicijs digniſſimus. nec tamen id ſatis maledico conuitiatori fuit: non enim ita poſt eandē à Cicerone gratiā inire parat, & quem librū accuratiſſima & diligentiſſima ſcripſerat induſtria uir omnis æui eloquentiſſimus, totū ſtultiſſimis & amētiſſimis quæſtionibus inſectari & exagitare pergit. Videlicet iſta mens tua fuit, ſi quid tamen mentis habere poteſt amentiſſimus
» iſte tuus ſenſus, Si literarū columina de ſuo deie-
» cero faſtigio, aut ſi non fecero, quid enim aduer-
» ſum eos uaniſſimus nebulo poſſim? plurimum ta
» men in omni genere doctrinę uidiſſe cēſebor, re-
» liquorum profeſſorum modeſtiam, qui factum
» meum non probabunt, impudentia facile ſupera
» bo, & maledicendi calumniandiq; libidine impe
» ritorū animos huius rei auidiſſimos optatis epu-
» lis & ſuauiſſimo paſtu ſatiabo: et quemadmodū
» M. Scaurus, cuius pater re nimium tenui, carbo-
» nariam exercuerat, eloquentia demum clarus &
» ſenatus princeps effectus eſt: ſic me academica ſe
» cta tāto temporū interuallo renouata, patre car-
» bonario natum principem literarum cōſtituam:
» nihil omniū creta candida, nigro carbone omnia
» notabo: denique antè uox me defecerit, quàm in
» literatos & bonos omnes contumelię & ſycophā
» tiæ. Iſta me ratione in acta quædam exire opor-
» tet, iſta uia per hominum ora celebrari, adoleſcē-

» tum quoq; inertiæ, cuius auidiſſimi ſunt, patro-
» cinabor: ſcriptoribus, quorum laborioſa cogni-
» tio eſt, in cõtemptionem adducendis, & compé-
» diis diſciplinarum oſtentãdis, falſáq; ſcientię per
» ſuaſione, quæ ex cõtemptu auctorum facile con-
» ſequitur, animis eorum inducenda, perficiam
» ut me tanquam palladium quoddam è cælo diui
» nitus demiſſum colant & uenerẽtur. Eo conſilio ludũ impudentiæ aperit, & quoddam tanquam bacchanal domi inſtituit: faſtidii, licentiæ, faſtus, deſpicientiæ ſacris incautã & imperitam adoleſcentiam initiat, quæ iam huius imbuta malis ue nenis, non pluris eximios ſcriptores quàm putidos fungos facit. Sed tu iſtud academiæ nimirum inſtituto facis, ut libere contra omnes & diſputes & ſcribas. Qua quidem in re facillime ingenii tui prauitas perſpici poteſt deterrima ſemper æmulantis, aſpernantis optima. Nam cum in Cicerone dicendi præcepta admirentur omnes, philoſo phandi genus ut leue, ut incertũ, ut errabundum improbent, tu inuentus es qui contra omnium iu diciũ eius rhetorica reprehẽderes, philoſophiam laudares. Itáne uero tibi placuit dubia & titubãs, ideoq; prophana & impia de natura deorum eius diſputatio, ut ſtatim perſuaſus docilem animum ad eam philoſophiam adiungeres? Itáne te incerta & uacillans, & quocunque tanquã æſtu & tem peſtate delata, de bonorum & malorum finibus eius ſchola in fraudem impulit capitalem, ut quæ

ſtudia,actiones,officia in uita coléda eſſent, quóque referri deberent, conſultum conſtitutumq; habere noles? I núc, uociferare & ad rauim odioſe clama perturbatorem omnium diſciplinarum Ariſtotelem eſſe,qui tam denſam offundere uitæ caliginem meditaris,qui omnium rerum confuſioné,peſſimo publico,omnium officiorum ſubuerſionem,diſciplinarum interitum,philoſophię peſtem exitiumque moliris: & malos genios aliis obiecta,quibus ſemper monentibus iſta loqui,& dictantibus ſcribere uideris. Verum eſto, rhetorica Ciceronis damnaueris, philoſophiam probaueris, quorſum ergo retulit in eo uitioſiſſimam & incertam potius quàm emendatiſſimã & conſtantem probare? Deſtinatam firmamque ulla de re ſententiam habere noluiſti, tibi ut pro tuo iure liceret,cum commodũ eſſet & liberet, in omnes contumelioſe intemperanterque declamare: ut qui nihil approbares,omnia culpare calumniando poſſes:cum tamẽ is,cuius exemplo Academicum te profiteris,in grauiſſimis diſputationibus academiam,eius leuitatem & inconſtantiam per tæſus procul amandatam faceſſere iubeat. An in laudatiſſimis illis de republica libris, cum optimum ciuitatis ſtatum exquireret, conſiliariam adhibuit iſtam animi incertam, & inconſideratam academiam? quid, cum ciuitatis ſuæ leges conderet, nonne perturbatricem iſtam ab Arceſila recentem academiam exorando ut ſileat, blan-

blandéque placando ſummouet? Atque niſi caſu quodam, ut interpretor, in Philonem bello Mithridatico è Græcia profugum incidiſſet, genus iſtud philoſophandi nunquam probaſſet, à quo tamen plerunque nõ inuitus recedit. neque uero quiſquam poſtea apud Latinos, quod ſciam, eam rationem ſecutus eſt, cum rerum confuſionem & fœdiſſimam ignorantiam cum pugnaci concertatione pertinaciter coniunctã induci uideret, & garrulitatis moleſte obſtrepentis ſtudiũ exerceri, nihil affirmari, artem omnẽ philoſophiæ tolli, rerum ordinẽ & deſcriptionem euerti. Nec in Græcia multos fautores & patronos habuit, quinque, ad ſummum ſex nominantur, qui quemadmodum nonnulli in optimis rebuſpub. exiſtere pernicioſe ſeditioſi ſolent: ita quoque cõpoſitiſſimam & præſtantiſſimam philoſophiæ diſciplinam labefactare & cõuellere tẽtarunt. Qui autem huius pertinaciæ errorem uſque à Socrate philoſophiæ parente repetunt, non mediocriter mihi falli uidentur. Nam etſi per diſſimulationẽ de ſe modeſte detrahit, ſéque nihil ſcire prędicat: id tamen facit quò ſuperbos ſophiſtas & falſa ſcientiæ opinione tumentes, & nonnullos adoleſcẽtes iuueniliter elatos, cum pace & leniter & placide refellat. Lege Xenophontis commentarios, quàm multa affirmet intelliges. Lege Socratis de republica diſputationem apud Platonem, minime nutantem eius uagantémque ſententiam

cognoſces. In eundem etiam cœtum Platonem (ſi diis placet) includere pari imprudentia conātur, qui mihi nec eius de republica & legibus ſermones unquā legiſſe, nec in Timæo explicationē naturæ attendiſſe uidētur. An non iis in libris & multis aliis, animi ſui ſententiam tanquam iuratus teſtificatur? an non aperte quid uerum ſentiat, decernit? an uſquam ambiguus & hæſitans ſuſtinet aſſenſionē? Immo uero diſerte ſemper aſſertionem illic præ ſe gerit, ſed tu obſtinatus in prauitate (ſi te bene noui) inſtabis, iugulúmque, quod uulgo dictitare ſoles, citius porriges, quàm animi peruicaciam aliquādo mutes: omnes ſemper omnium artium conditores uituperabis, licentia fretus academiæ tuæ: alienæ laudis obtrectatione liuidus famam quæres, artiúmque ruina te uenditabis: ut te nō aliter q̃ peſtem, uaſtitatem, intēperiem, homines auerſari deteſtaríque debeāt. Quid medicinæ futurum eſt, quid Galeno, ſi ſemel non ingenue diſcendi, quod non ſoles, ſed inſtituto tuo maligne reprehendendi ſtudio, medicorum libros cognoueris? me quidem auctore, medici ſi ſapiunt, non modo non recipient te nomen tuum profitētem in ſcholam, uerumetiam tibi ſuis interdicent libris. Nam Galeno putido ſcilicet, & inepto ſcriptori fraterculum tuum, quem medicinæ ſtudere ferunt, iam neſcio quid audio minari, nec mehercule iniuria. Quid enim bellā iſtam academiam damnabat,

bat, quid in Fauorinum ſcribebat, arbitrium diſceptationémq; ueri affirmans, & aſſenſionis retentionem improbans? Cur genus iſtud inſtitutionis, quo tanquam candidis inuehentes equis triumphatis, ut omnium uitioſiſſimũ, libello notabat? Iſtud tacitum ferre non debet, ac mediusfidius eum meritiſſimũ tuam ſuámque uicem ulciſcetur. Ius uero ciuile ſi attigeris, dij ueſtram fidem, quam illic ſtragem edes? Illud tuum in Ariſtotelem Ciceronémque peruagatum, quódque pene iam uociferando contriuiſti, multa turbat, multa miſcet, confundit omnia, parce ſis tibi ſodes, nuſquam ſat ſcio, crebrius uſuueniet. Vbi uero ad præclaram illam & ſingularem tuam, tuã enimuero dicam, licet multi fremant, rei furtiuæ perpetuam auctoritatem eſſe, ſed qui habet ſale quod in te eſt, facile alieno labore partam gloriam uerbis in ſe tranſmouet: uerumtamen cum ad tuam tradendarũ artium rationem exigere cæperis iuriſprudentiam, quãtam inſcitiam patefacies, quas animaduerſiones ſcribes? Non ut in Ariſtotelem uiginti libellos, ſed (ita me deus amet) uiginti plauſtra condes. Nam qui ſæpe aut ob leuiculam definitionem præteritam in aperta re, quæ definitione non indiget, aut non neceſſariam diſtributionem omiſſam, aut præceptiunculam non ſuo (ut exiſtimas) loco poſitam, aut ex alia adhibitam diſciplina, ut uinculo quodam neceſſario inter ſe omnes colligatæ ſunt, uolumina

tota damnas & retexis, quam uberem reprehenſionis materiam & ſegetem nanciſceris? Vnum tamen quod inter nos dicere liceat, non ſatis inſtituto academiæ facere uideris, qui tã obfirmate tradendarũ artium tantũ unam eſſe uiam æſtimaueris, ut triuium omne & triuiã ipſam odiſſe uidearis. Sed quod nollem, grauis illic tibi & infenſus propoſitus eſt aduerſarius. Scin' quem dicam? Goueanum, inquam, qui ſuperiore commiſſione os tuum impudens batuebat. Vide ſis, ne ualens ille pugil te fulua moribundum ſternat arena, præſertim elatus uictoria priore: nihil cũ illo, ſi me audis, rei tibi fuerit, ne cum Perionio quidem docto & diſerto homine, qui toties loquacitatem tuã elinguem reddidit, ut ad eius libros ueris uictus ſemper obmuteſcas. Idẽ ſi ad remp. accedas, cuius pręclara diſciplina & optimis inſtitutis hodie ſtamus, & incolumes ſaluiq; ſumus, more tuo turbes, quietemque publicam factione & diſſidio commutes, quod in pace tranquilliſq; rebus obſoleſcas, in tumultu & ſeditione ut exiſtimas, domineris & eniteas. Nam qui in literario iſto placidóque otio, tamen animi morbo quieſcere non potes, ſcilicet in negotio, inquies, & ſeditioſus pacem & trãquillitatem colere poſſes? Homines antiquos & rudia impolitáque uetuſtatis iura ſequentes, prudentia & conſilio primarios in ciuitate haberi, formularios florere, leguleios & cautores in pretio eſſe nunquam ferres:

res:eos in iure,conſultationibus,cautionibus,ſcriptionibus nihil ſapere, ius neſcire, quod æquum putarent iniuriam eſſe doceres:iura noua legiſlator eximius deſcriberes,uetera & uſitata damnares,leges uictis & oppreſſis ciuibus tuis dares, eo quippe progrederetur amentia tua. Si uero turbulentam & popularem rempublicam nactus eſſes, qualis olim Atheniēſis & Romana fuit, ecquem Cleonem, ecquem Hyperbolum non ſuperares? cuius furioſi tribuniplebis ueſanas actiones non uinceres? Romæ non alius in montem ſacrum & auentinum ſecedendi auctor & dux multitudini eſſet,non alius coniuraret: ita non literis tantum in quibus tanquam proludis facinoribus maioribus,ſed philoſophiæ perniciosus ciuis aleris, ac niſi propediem obuiam eatur audaciæ tuæ,quocunque impetum dederis, reſpub. detrimentum accipiet:quanquam plus quàm uellem iam accepit. Nam ſi qualis eſt puerorum inſtitutio, quod tanquam ſeminarium ciuitatis eſt,tales poſtea ab educatione puerili ciues exiſtere ſolēt,quis nō uidet immutata & corrupta ſanctiſſima & integerrima diſciplina, ciues in poſterū deteriores magiſterio tuo fore? Principia magnitudine exigua ſunt,ſed momētis maxima. puerorum diſciplina mutari nō poteſt ſine aliqua reip. mutatione, inclinatione,cōuerſione:philoſophiq́; præſtantiſſimi,ut Plato,ut Ariſtoteles, & legiſlatores egregij, ut Lycurgus,iſta de cauſa diſciplinā iuuētutis im

primis eſſe ſanciendã cenſuerunt, & ad reip. quã conſtituebant, finem & utilitatem dirigendam. Quare per deum immortalem peſti atque exitio mature occurrendum, quam portendit iſtius deſperatiſſimi hominis rabies; dũ in primordio luctaretur olim iudicio principis ſemel notata & debilitata. Quod ſi iudicum ſententiis perfregerit rege triumphato, cui parcet? cui nõ inſultabit? quid diuini aut humani iuris nobis relinquet? Iſta licẽtia eſt academię, quam tot intermortuam ſeculis maledicus iſte ſeſquizoilus, nunc è fornace carbonaria patris fuliginoſa, uelut ab inferis rediuiuam excitare & renouare conatur, ut iuris æquitatis & doctrinæ omnis quietis, tranquillitatis, uirtutis, officii certiſſimam & ueriſſimam ex hominum animis opinionem & perſuaſionem à ſtirpe euellat, omnia ſurſum deorſum miſceat: quo nihil pernicioſius humano generi eſſe, nec ad exemplum ſceleratius prodi prodeſt. Atq; huius nefariæ ſectæ uecordiã quibus uerbis ſuggillet uir haud magna ille quidem cum re, ſed cum iudicio in philoſophia grauiſſimo Epictetus, adſcribã: Sic Epicurus (inquit) omnia uiri patriſq; familias munera & officia amputauit, & ciuis & amici, uerum humanam tamen procliuitatem & propenſionem ſibi non amputauit, nihilomagis quàm miſeri academici ſenſus ſuos abiicere aut excæcare poſſint, quanquam id enixe ſtudentes. Quam eſſe miſeriam iſtam dicam? Tu cum à na-

" tura modulos & regulas acceperis ad agnitionē
" ueri, non ultro operam ſumes, elaborabíſque, ut
" quod deſit adiicias, & excolēdo de tuo ſuppleas?
" Sed contrà, ſi quod illic argumentum ueri ſit, id
" tollere & extinguere conaberis? Quid ais philoſo
" phe? pietas & ſanctitas quales tibi uidētur, cędo:
" uin' bonum confirmē, etiam ut noſtros ciues con
" uertas ad dei cultum, & aliquādo maximis in re-
" bus ſegnes eſſe deſinant? Itáne igitur rationes ha-
" bes? Ego uero habeo & gratias ago. Ergo quando
" nimium iſta tibi placent, accipe nunc contra, ne-
" que deos eſſe, neq; ſi ſint, humana curare, neque
" quicquam cum illis commune nobis intercede-
" re, pietatem & ſanctitatem, quæ hominū ſermo-
" ne celebrantur, meras nugas eſſe, commentáque
" inſolentium hominum & ſophiſtarum aut etiā
" legiſlatorum ad terrorem & repræhenſionē im-
" proborum. Nę tu ædepol præclaram & ſolidam
" philoſophiæ gratiā à noſtris ciuibus iniſti, iuuen-
" tutem uniuerſam iam ad deorum contemptionē
" excitaſti. Quid? iſta tibi non probātur? accipe nūc
" nihil eſſe iuſtitiam, pudorem eſſe ſtultitiam, pa-
" trem nihil eſſe, filium nihil eſſe, certe tu quidem
" philoſophe hic cōmorare, hoc urge, iuuentutiq;
" perſuade, ut plures eiuſdem ſententiæ affines &
" idem loquentes habeamus: ab his nimirū diſpu-
" tationibus bene moratæ ciuitates profectæ coa-
" luerunt atq; creuerunt: ij ſermones Lacedæmo-
" nem nobis pepererunt. Lycurgus iſtas opiniones

" animis ciuiũ ſuis legibus & inſtitutis inſerebat,
" neque ſeruitutem ſeruire turpe potius quàm ho-
" neſtum eſſe, neque liberum ingenuũmq; eſſe ho
" neſtum potius quàm turpe. Qui ad Thermopy-
" las occubuerunt, propter iſta decreta ceciderunt.
" Athenienſes uero quas ob alias rationes urbem
" ſuam reliquerunt? Et tamen qui iſta garriũt, uxo-
" rem ducunt, operã dant liberis, remp. capeſſunt,
" flamines deſignant & uates. Quorũ obſecro? eo-
" rum qui nuſquam ſunt: Pythiã conſulunt, ut fal-
" ſa audiant, aliis oracula interpretantur. O inſignẽ
" impudentiam, ô præſtigias! mi homo, quid facis?
" tu temet quotidie refutas: neq; in animũ tamen
" reducis frigidas iſtas argutias omittere? Si cuius
" academici ſeruus eſſem, etiã ſi mihi quotidie ua-
" pulandum eſſet, eum uſq; meo modo excruciarẽ.
" Mitte ſis puer oleum in balneũ: ego uero mitterẽ
" garum, & in eius caput potiſſimũ funderem. Eho
" quid iſtud eſt? uiſum me quoddã inquam olei pe-
" pulit prorſus indiſtinctum & ſimillimũ. tuã adiu
" ro fortunã, adfer huc ptiſanã: & plenã adferrem
" paropſidem oxigari. quid? ptiſanam non petiui?
" ſane quidem here, iſtuccine ptiſana eſt, iſtuccine
" nõ oxigarum? cur potius inquam quàm ptiſana?
" Cape ſis & odorare, cape ſis & guſta. Ecquid ſcis
" here, an nos ſenſus fallant? Tres aut quatuor con-
" ſeruos eiuſdem uoluntatis ſi habeam, hominem
" rumpam, & ad ſuſpendium adigã, aut aliam ſen
" tentiam ſibi commutare cogam. Hactenus Epi-
ctetus.

ctetus. Satin' intelligis elogium iſtius effrenatæ academiæ tuæ? Iſtius ſectæ profeſſione, ecquid iam intelligis quãtũ ſuſcipiatur ſceleris? Equidẽ perduellionis maieſtatis, impietatis, omnium denique ſcelerum quæ legibus uindicantur, iſto uocabulo contineri crimẽ affirmo, ut omnium qui huius dementiæ ſectatores ſunt, antiquo more caput cum bonis omnibus ſacrari debere merito exiſtimem. Nunc tamen ita rem natam intelligo, ut pro ſupplicio quod commeruerunt, de bonorum præmiis contẽdere audeant: & pro academicorum pœnis quas formidare debuerũt, ad peripateticorum honoraria & emerita aſpirent, & non iſtud nomen in quo tantum exitii latet, perhorreſcunt: etiámne ſe academicos prædicare & uenditare audebũt? Tam male de ampliſſimo ordine exiſtimabunt, ut bonorum præmia eius ſententia ſontibus & noxiis adiudicatum iri ſperent? Sed excipis fortaſſe religionis cauſam, & diſciplinæ publicę priuatæque. hic nihil moues, quietem amas, haud uidi magis qui iam tantum turbarum & tumultus dederis. primum neſcio, cupio quidem: deinde quid academiæ conſentaneum ſit, ſemper uidero: poſtremo dum nomen iſtuc audietur, religioni & officio ſemper timuero, & diſciplinæ controuerſæ & litigioſæ meminero. Quandiu enim extabit ratio illa academiæ de re quaque utranque in partem diſputandi, aſ-

di, nõ ſatis eſſe cautum religioni & pietati putabo. Cui ſi tu parces, quod equidem uelim, quis tamen ſpondet, quis pręſtat omnes in poſterum ab iſta tua ſchola in officio futuros? An non timendum, ne quemadmodũ te omnibus hominibus qui ſunt, fuerunt, erunt, iniquum & infeſtũ præbuiſti: item quoque aliquis aliquando ex iſta nouitatis ſtudioſa ſchola exiſtat, qui Aloidarũ more hominibus iam à te, ut cenſes, domitis, in deos immortales arma capiat? Iſta enim eſt academiæ profeſſio, iſta licentia, qua ſemel à tuis ſuſcepta, quis tandem modus futurus eſt? Quam enim aliã prouinciã ſubactis, ut exiſtimas, doctis omnibus, tuis relinquis? ut demiſſa per pronum pondera deorſum uoluũtur, nec ſtatim in ęquo ſuo impetu concitata quieſcunt: ita quoque temeritas iſta præceps & uolubilis, nec ubi quieſcẽdum eſt inſiſtet. Appella quãtum uoles euãgelia, & pietatis ſtudiũ in ſpeciem cæptis tuis prætende, dum homines academicum cogitabunt, pium nunquam exiſtimabũt. Quo quidem in loco facillime perſpici calumnia tua poteſt, qui impietatis crimen, quod proprium eſt ſectæ tuæ, & in tuos proprie conuenit, in Ariſtotelem conferre uoluiſti, cuius ſententia iudicio ſanctiſſimi theologorum ordinis cum pietate coniunctiſſima eſt. Et quidem ſi qua in re tibi conſtare uelles, nec inconſtantiam ſequereris, non ſolum omni tipula leuiorem, ſed etiam cum imprudentia coniunctam, uel acade-

miæ

miæ deſertor ad alia caſtra transfugeres, uel ea probata in dialecticorum potius præcepta ſcriberes, quàm ullam de diſſerendi ratione literã unquam relinqueres. Quî enim, obſecro, conſentaneũ, academicum eſſe, id eſt in diſciplinas omnes coniurare, & diſputãdi certa præcepta hominibus edere? Quis unquã fando audiuit, quis legit ab academicis de artibus & philoſophia certas ullas præceptiones eſſe traditas? niſi forte fraterculo tuo credendum eſſe cenſes, qui in officiis Ciceronẽ academicũ eſſe putat. Quod ſi eſt, cur quiſquã Panętium quem Cicero imitatur, ſtoicũ potius quàm academicum exiſtimet? aut cur nõ liceat iſta ratione cum inepto declamatore, ut ſatyricus ait, Ciceronem Allobroga dicere? Sed tu mihi uocabulũ iſtud arripuiſſe potius quàm delegiſſe uideris, qui ſatis habueris qualecunque nomen peripateticis opponere. Ita dum ambitioſius iſtud quàm conſultius facis, nunquam quid ſuſciperes attendiſti: nunquã quid illa ſecta polliceretur, animaduertiſti. quo fit ut imprudens in te incurras, nec ſolum in peripateticos, quorũ dialectica ab omnibus probatur, à te damnatur, ſed in tua quoque uiſcera academiæ tuæ arma cõuertas. Nam cum artes omnes uel labefactentur

aliis pepercisti. illa cælitus ut olim ancilia Numę, ſic tibi delapſam dialecticam academicus plane ſuſtuliſti. Quid illa amuſſis, qua artes omnes dirigis, ut ſi quis ab ea uel latum unguem deflectat, inſcitiæ inſimules, & opus improbes, nónne tibi, quod aiunt, pro regula leſbia erit? Nihil enim directum, nihil certum & exploratum eſſe academia tua clamat: quæ prorſus taceat neceſſe eſt, ſi methodus illa quam crebro iactas, ualeat. quanquam non magis dialectica quàm cæteræ artes euertuntur, quæ cõſiſtere nõ poſſunt, animi præceptionibus ſublatis quibus cõtinẽtur. Si omnia, quod academici perſtrepunt, opinionibus hominum, ſi legibus, ſi inſtitutis corrupta uitiatáque ſunt: ſi nihil uerum, nihil ſyncerum eſt, quis officio, diſciplinę, uirtuti locus in uita reliquus eſt? Nónne iſta tua ratione hominũ mores cum philoſophia peſſundantur? nónne humanæ leges & ciuilia iura profligantur? Si enim uirtus à uitio, ius ab iniuria internoſci non poteſt, cur poſthac quiſquam officio quod inane nomen eſt ſeruiat? Cur poſthac magiſtratum pro tribunali ius potius quàm iniuriam dicere putet? quis rebus iudicatis ſtandum cenſeat? quis ſi poſſit non armis & manu potius quàm legibus & moribus ſua defẽdat, aliena appetat? Non uides quantam ad improbitatem & ſcelus feneſtram patefacias, qui ex hominum animis boni & æqui notionem auferas? Iam uero cur quiſquam in perueſtigatione

ne naturæ poſthac elaboret, ſi nihil ſtudio & diligentia profici intelligat: ſi irritum & inanẽ conatum fore ſciat, ut medicinæ quiſquam det operam, aut æger medicum adhibeat, ſi nulla diſtinctio eſt, nulla internotio ſalubrium & inſalubriũ, ſecundæ ualetudinis & aduerſæ? Quod ſi tem pus aliquãdo fuit quo rebus nondũ ex umbra in ſolẽ, & tenebris in lucẽ eductis nondũ cõſtitutis, diſtinctíſq; diſciplinis, huic uaniſſimæ ſectæ locus eſſet, hodiéne cum ſapientũ conſtãtiúmque hominum iudicio decreta omnia & perſpicue definita ſunt, ei locus ullus erit? hodié ne furiis uelut imo Acheronte refuſo opinionum peſtem & diritatem per orbem terrarum ſpargentibus, hæc camarina academica mouenda fuit? Exiſteré ne homines in Gallia potuere, quæ (ut diuus Hieronymus ait) ſola mõſtris caruit, qui ſectæ quam ignorarent importunitate quidlibet non ſentiendi modo, ſed & dicendi & ſcribendi contra omnium auctoritatem effrenem licentiam, impunitatémque proponerent? qui Ariſtotelem nihil ſcire, aſinum eſſe, naturæ lumen extinxiſſe, cacodæmonum præſtigiis hominum mentes cæcaſſe, in principe terrarum urbe, tanta doctorum hominum frequẽtia, maximo regni florentiſſimi probro, ſcribere, pa-

ralem plenam impietatum, phyſicē & metaphyſicē uecordia atque amentia refertā, non ſolum ſcriptis proderent, uerumetiam maiore uoce & contentione quàm ullus unquam Trachallus, priuatim & publice declamarēt? qui ex Virgilio & poëtis diſſerendi rationem, reliquáſque philoſophiæ partes longe melius quàm ex Ariſtotele diſci poſſe ad huius academiæ nouæ reædificationē etiam in ſenatu grauiſſimo defenderent? qui ad eam quam ſomniāt & falſo adumbrant eloquentiæ philoſophiæq; coniūctionē, non poëtas modo & oratores (ut ſcriptis prodiderūt) ſed quod re uera in eorū gymnaſio fit, hiſtoricos, grāmaticęq; & rhetoricæ ſcriptores ita interpretarētur, ut Ariſtotelem aūt non attingerēt, aut non ad uerbum ſtudioſe & grauiter, ſed ueluti per tranſennam compendiis & ſummis capitibus legendum eſſe cōtenderēt? & moralem eius philoſophiā bonāq; librorum partē diſcipulis ſuo marte, quod aiunt, ſine præceptoris opera cōmitterēt? quiq; ad cōfirmandum hunc ueſanū errorē leges huius ſcholæ maiorumq; omniū inſtituta deprauarēt & corrūperēt? Frāciámne homines genuiſſe, qui ut incautos adoleſcentes ad ſua deliria & ſomnia traducerent, & ſuæ uecordiæ patrocinium quærerent; ita ſiniſtre de Ariſtotele non modo ſentirent, ſed & apud grauiſſimos iudices, & per ſe & per aduocatos oratores uiua uoce & impudentiſſimis ſcriptis loquerentur? O cælum, ô terra, ô maria Neptuni,

ptuni, hęccine fieri flagitia? hęccine de eo homine, ſi modo homo dicẽdus eſt, in cuius mente ceu puriſſimo ſpeculo tota natura refulſit, excidere ex ore cuiuſquam potuerũt? Natóſne eſſe in Frãcia omnis humanitatis, pietatis & religionis parente, qui ita iura omnia humana & diuina uiolarent, ut qui ab ultimis principiis abditiſſima & profundiſſima quæque rerum omnium deduxit, opinionum prodigioſarum monſtra profligauit, ordine ſingula digeſſit, pronũciata uniuerſa in omni argumento & materia, quibus ſequens ætas tanto ſeculorum decurſu citra ullam fere exceptionem uteretur, excogitauit? in quo nihil inane & uacãs, omnia ſolida & plena: in quo ſi quid demas, uniuerſa ſtructura, ut in clypeo Phydię ruitura ſit: in quo tanta uerborũ frugalitas, ſentẽtiarum grauitas & crebritas, ut ſingula uerba ſentẽtias propemodum æquent, qui ſolus uia, ratione; præceptis & arte diſciplinas incluſit, & uere philoſophari docuit? natóſne inquam in Frãcia eſſe, qui hunc uel exilio multarent, uel fœde turpitérque circunſcriptum ad deriſionẽ & contemptionem dedecoris ignominiæq; notis omnibus inuſtum retinerẽt? natóſne eſſe inquã in Francia noſtris temporibus ſtolones, qui arborem ſub cuius

philoſopiæ parentē expromerent, & ſe tanto ueluti parricidio contaminarent? qui ad cōmuniēdum & corroborandū huius ueſaniæ academicæ errorem, Ciceronem quoque (ut de Quintiliano taceam) uirtutum bene dicendi omniū uiuo gurgite exundantem, omnium eloquentiæ certaminum uictorem, ſingulari dono prouidētiæ genitum, in quo totas uires ſuas eloquentia experiretur, infantiæ & inſcitiæ accuſarēt, cōturbaſſe eloquentiæ partes, diſcrimen artium neſciuiſſe, definiendi diuidendíq; ignarum fuiſſe, arte omni iudicióque caruiſſe, impudenter calūniarentur? qui Euclidem, qui Galenum in ſuis etiam artibus omnia conturbaſſe, rationis & uiæ artes tradendi imperitos fuiſſe, paſſim turpiter allucinatos eſſe clamarēt, atque etiam omnibus artium ſcriptoribus ſuperbe comminarētur? Quid Itali, quid Hiſpani, quid Germani de nobis locuturi ſenſuriq; ſunt? quātum nobis in literis delaturi, quas laruas & intemperias nobis obiecturi? qui hominem ſectæ academicæ petulantia furentē, peſtem peripateticæ philoſophiæ molientem, cum Ariſtotele, Quintiliano, Cicerone philoſophiæ & eloquentiæ luminibus nefarium bellum gerentem, præſtantibus omnibus artium ſcriptoribus exilium minitantem, inſolentiam anhelātem, taciti feramus? qui tantam inſaniā priuatim & publice non in ſcholis & frequentibus adoleſcentum circulis, ſed & in grauium uirorum cœtibus, in ipſa denique

que

que Curia uiua uoce ſcriptis, & per aduocatos primi nominis defendentẽ audiamus. An nõ dicturi ſunt non modo tantæ uecordiæ auctorem, ſed & nos qui eã plauſu & cãticis excipiamus, errore phanatico & iracũdia diana exagitari, & pro ceritis & lymphaticis circunferri debere? Sed finis ſit, nõ enim me plura proloqui ſinit dolor. Finem igitur faciã, ſi quod uiri boni eſt, te extremum rogauero Rame, ut tandem aliquando ad aliquã mentis ſanitatem conuertare: & ſi me audis, roges (ut comicus ait) quãti porci ſacres uęneant, ut expiari poſſis: tametſi de Scęuolæ pontificis ſententia, impie commiſſum expiari uix poteſt. Reſipiſce inquam Rame, & tuæ ſtultitiæ ſatis longe progreſſæ modum ſtatuito, ex hoc moleſto uado, ex hac impedita ſalebra tete explicato, & quæ ſola medicina tanto malo relicta eſt, errorem confitendo & meliora in futurum promittendo, noua quadam inoculatione arbori matri te redinſere. Prima illa animi ingeniíque ſors imperandi & bona pręcepta tradendi cum tibi negata ſit, ſecundam ac mediam cũ Minutio ilio Liuiano tene caſtra caduca & infirma: cum Fabio, id eſt cũ grauibus theologiæ medicinæque, & aliarum artium huius ſcholæ doctoribus coniunge. Quod

tia eorum qui te prudentiores ſunt uideris, rerũ ordines propter abuſus tollendos nunquam contende. Lycurgum qui propter temulentos uino male utentes uites ſtirpitus excidit, tibi proponere imitandum noli. Ad ipſam communem parẽtem ſcholam quæ perperam & contra maiorum inſtituta fieri animaduerteris, cum aliis primum diligenter communicata refer, immo per alios graues, nec quanta tu leuitatis & maledicentiæ fama laborantes referri curato. Nam ut prudentes & doctos omnes erga te affectos uideo, ſententiam uel optimam ex ore tuo profectam nunquã boni cõſulent, ſed quod Lacedæmonios olim feciſſe legimus, niſi à tui diſſimillimo, id eſt modeſto, cordato & conſtante pronuncietur, pertinaciter repudiabunt, uitium omnium confeſſione compertum his auctoribus & ſuaſoribus emendandum aut tollendum eſſe mone, & contende. hoc cum facies, fortem te prudentémque uirum prædicabimus, amabimus, omni ope adiuuabimus. Quòd ſi potius omnium decretis ſolus aduerſari, omnium leges perfringere, omnium acta reſcindere, & pertinaciter tuum errorẽ tueri, quàm fideli meo conſilio parere uoles, me cum tot doctis & bene de literis ſentientibus in hac ſchola hominibus, quibus tu bellum indixiſſe uideris, à te diſſentire nec mirari nec moleſte ferre debebis.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE